DE METAPHORAE APUD PLAUTUM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ASCHER INOWRACLAWER,

VRATISLAVIENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXVI.

1876

RICHARDO FOERSTER

DILECTISSIMO PROFESSORI

DAVIDIO MARCUSE

MARCO SOCHACZEWSKI

MUNIFICENTISSIMIS AMICISSIMISQUE FAUTORIBUS

SACRUM.

Tragoedia plerumque imitatur actiones meliorum, comoedia deteriorum [1]; illa affectuum purgationem spectat, id quod misericordiam metumque excitando efficit [2], haec primum voluptatem sequitur, quae in risu consistit. Dixi „primum“, nam aeque ac tragoediae bonae comoediae propositum esse oportet, ut animos et mentes reddat meliores. Quod quum tragoedia via recta seriis actionibus ac magnificis cogitationibus producendis petat, comoedia longo quasi anfractu eo pervenit ridiculum loco speculi adhibens, quo nostra ipsorum vitia conspiciamus, conspecta et cognita detestemur atque abjiciamus. Quoniam igitur, ut ex comoediis in moribus proficiamus cum vitae peritia tum sui cognitio postulatur, tragoediam ad pueros adolescentesque educandos comoedia multo aptiorem esse apparet, praesertim quum in hac multa reperiantur, quae mentibus noceant, et quum puerorum et adolescentium animi magis fere ad mala, siquidem jucundis, quam ad bona,

---

[1]) cf. Aristot. Poët. c. 4. ed. Bekker. *ἡ μὲν γὰρ χείρους, ἡ δὲ βελτίους μιμεῖσθαι βούλεται τῶν νῦν.*

[2]) ibidem. *ἔστιν οὖν ἡ τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας* etc. *δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.*

si acerbis mixta esse videntur, inclinent. Quae morum ratio num Plauto, quem summum Romanorum comicum esse inter omnes constat, in fabulis fingendis ante oculos sit obversata, dubitandum est locos offendentibus, quibus filii sine ulla causa summa impietate impudentiaque de parentibus loquuntur [1]) aut patres cum filiis certamen de scortorum favore ineunt [2]). Atque etsi permultis locis, ubi vitia et damna publica insectatur [3]), mores corrigendi studium est manifestum, tamen id non tam virtutis pietatisque quam risus excitandi ac voluptatis praebendae causa fieri suspicor, quod quin summum artis praemium sibi propositum eximie executus sit, negari non potest. Hunc autem eventum praecipue sermonibus poëta debet, quibus omnibus comicis Romanis praefertur, quum argumentis Caecilio, personis Terentio postponatur [4]). — Sermones Plautini quinque virtutibus excellunt, celeri argumenti explicatione, quam Horatius spectasse videtur, cum dicit „*ad exemplar Siculi properare Epicharmi*“ [5]), audacibus propriisque verborum formationibus [6]) magna numerorum varietate, quam nimirum Quinctilianus a falso principio profectus male improbat [7]), annominationibus saepe vere

---

[1]) cf. Most. 233. „*Utinam meus nunc mortuos pater ad me nuntietur,* in quit Philolaches; atqui paulo ante idem toto cantico se vitae peractae poenitere confessus est et, quantum operae et curae liberis darent parentes, explicavit. cf. Most. 120–125. alio loco: Pseud. I. 1. 120. filius matri haud secus ac meretrici alludit.

[2]) cf. Asin. sub finem, Bacch. sub finem, Mercat.

[3]) cf. Trin act. I sc. 1; 1032—54. e. a.

[4]) cf. Volc. Sedigti can. Gell. n. a. XV. 24. ed Ladewig.

[5]) cf. ep. II. 1. 58.

[6]) cf. Persa 702—5.

[7]) cf. Quinct. instit. X. 1. 99.

admirandis, maxime salibus[1]), quos ab Horatio injuria parvi aestimari, a Varrone et Cicerone nimiis laudibus efferri multi mecum consentient. Sales autem vel joci fere omnes in duo genera distingui possunt, in logos[2]) qui vocantur, qui artificiosis quibusdam verborum ludis efficiuntur, et in metaphoras, quae figuris comparationis causa ascitis evadunt. — Ac jam inde, quod eae tam frequentes in Plauti aliorumque comoediis atque omnino in comicis carminibus occurrunt, ut earum in tragoediis usum ac numerum longe superent, elucet eas a poëta ut adjumentum comicae efficacissimum adhibitas et audientibus gratas atque acceptas fuisse. Quod si etiam in pedestri sermone, imprimis in oratorum operibus, translationes in quavis fere pagina reperimus, illae plerumque sunt locutiones, in quibus figurati sensu paullatim extincto figura in proprii, si quidem est, verbi locum successerit; ut sal pro joco sive facetiis. Saepissime Cicero translationibus utitur[3]), quae ad maritimas res pertinent; ut „concionum procellae, rei publicae sentina" (ubi nos dicimus Hefe), rei publicae gubernacula, cf. Plut. Sol. 19. et Soph. Oed. tyr. Creontis orationes (nos similiter: Staatsschiff, an's Ruder kommen). At quo pluribus figuris cotidianae consuetudinis nondum factis pertexitur oratio, eo vivaciore et splendidiore induitur colore ac specie[4]) eoque magis delectat, dummodo, ne modus excedatur, caveas[5]), qui omnibus rebus

---

[1]) cf. Hor a. p. 271, Cic. de off. I, 29. Gell. VII. 17, XIX. 8.

[2]) cf. Persa 394. Stich II, 1. 68, II, 2. 59.

[3]) cf. Quinct. VIII. 6.

[4]) cf. Hor. ep. II, 2. 116. *speciosa vocabula rerum* et Quinct. VIII. 6. 48. et *species ex arcessitis verbis venit.*

[5]) Quinct. VIII. 6. *sed et copia quoque modum egressa vitiosa est.*

utilitatem voluptatemque servat. Huc spectat, quod Corinna in Pindari adolescentis carminibus propter mythorum nimiam abundantiam reprehendendis censet, manu, non sacco esse spargendum. Sed majus fere vitium quam intemperantia est inepta comparatio vel, ut cum Quintiliano loquar, inconsequentia, ut duarum vel plurium imaginum lineamenta confundantur [1]) et de duabus vel omnibus praedicetur, quod in unum cadit, vel de uno dicatur, quod de altero modo dici potest, atque ita velamine quasi detracto res inter se pugnantes aut, quae omnino non intelligantur, remaneant. Sic Quinctilianus VIII. 6. 14. distichon Vergilii Georgicon III. 135 citat, quod parum speciosum esse

---

[1]) Etiam apud Goethium nostrum bis talis inconsequentia reprehenditur in fabula, quae „Faust" inscribitur: In primo monologo, postquam famulus molestus Wagner ille abiit, Faustus exclamat:

Wie nur dem Kopf nicht alle Hoffnung schwindet,
Der immerfort an schalem Zeuge klebt,
Mit gier'ger Hand nach Schätzen gräbt
Und froh ist, wenn er Regenwürmer findet,

quasi capiti sit manus, qua possit fodere; deinde Valentinus ille moribundus in sororem invehitur:

Wenn erst die Schande wird geboren,
Wird sie heimlich zur Welt gebracht,
Und man zieht den Schleier der Nacht
Ihr über Kopf und Ohren;
Ja, man möchte sie gern ermorden;
Wächst sie aber und macht sich gross,
Dann geht sie auch bei Tage bloss
Und ist doch nicht schöner geworden;
Je hässlicher wird ihr Gesicht,
Je mehr sucht sie des Tages Licht.

Hoc loco translatio probri ad infantem spurium virginemque matrem spectans haud liquida mihi esse videtur. Quam confusionem, ut multi statuunt, condicioni moribundi condonare nolim, quoniam reliqua ab eodem dicta plane patent.

dictu judicat atque id suo jure, id quod unusquisque ex versibus ipsis facile intelliget.

Hoc faciunt (*sc.* rustici), *nimio ne luxu obtusior usus*
Sit genitali arvo et sulcos oblimet inertes.

Atque adeo apud Horatium ipse inveni, quod eodem nomine notari mihi videatur: a. p. 53 „*Graeco fonte cadent parce detorta*" (sc. verba). Duabus imaginibus confusis translatio absurda facta est; vitium vitari vel sanari potuit, si loco fontis arbor posita esset, quo facto verba peregre ascita, de quibus nostro versu agitur, pro fructibus externa arbore parce detortis accipi poterant. Verba enim detorquendi et cadendi non adhibentur nisi de motu, qui fit a superiore loco in inferiorem; ex fonte nihil detorqueri aut cadere potest, sed omnia manare, oriri, id est ab inferiore loco in superiorem moveri, necesse est. — Talia in metaphoris Plauti me reperire non memini. Sane in propriis comparationibus contaminationes confusionesque complurium non sunt rarae. Quod inde fieri mihi videtur, quod comparatio, ut Quinctilianum egregie perspexisse puto, a metaphora eo differt, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur, ut in metaphora duo similia in unum coeant, in comparatione duo similia, alterum juxta alterum, modo componantur; unde factum esse apparet, ut comparationi multo major licentia in similitudine vindicanda pateat quam metaphorae. Quare Plauto vitio non tribuendum est, quod aliquoties complures comparationes confunduntur. Sic in Bacchidum fabula v. 925—78 complures comparationes simul propositae ita inter se implicantur, ut singulis personis binae vel plures vices sint suscipiendae; ut Chrusalo Ulixis et Agamemnonis, Mnesilocho Sinonis et Paridis sive

Alexandri, Bacchidi signi et Helenae, seni Ilii, Priami, quin etiam Hecubae; auro, quod hic et saepius, ut infra demonstrabitur, personae munere fungitur, muri et Priami filiorum. Uno loco Chrusalus, qui comparat, se comparationum perturbationis sibi conscium esse aperit et, ut ei occurrat, operam dat, id quod magnum risum excitasse credendum est. Ac vero, quae ex metaphoris percipitur, voluptas fortasse maxime ingenua et honestissima est omnium ex comoedia perceptarum, quoniam allusiones et translationes ex variis vitae provinciis petitae et vim cogitandi et animum in perpetua motione atque actione tenent, sine quibus variae poëtae ambages intelligi nequeunt, sicut etiam ex intellectu voluptas animi pendet. Homo enim nisi ex eo, quod intellexerit, voluptatem non hauriet. Accedit, quod figurarum et allusionum sale et acumine percepto nobis ipsis gaudemus, quoniam vis ingenii in periculum quoddam vocata facultatem exhibuit aliquid abditi et quodam aenigmatis velamine operti serius ocius aperiendi et in intima significationis penetralia, ut ita dicam, intrandi; contra graviter ferimus nos ejusmodi res non perspicere, quod in eo testimonium hebetis ingenii inesse existimatur. Qua de causa minus in obscena metaphoris tanquam obvoluta animadvertitur, quam in petulantiam lasciviamque propriis verbis aperte incedentem. Quo enim magis aliquid est ingenii specimen, eo decentius solet esse. — Quod si quaeritur, in comoediis vel aliis comici coloris carminibus quo metaphorae vis comica contineatur, neque Aristotelis neque Quinctiliani definitiones, si comoediam respicio, sufficere mihi videntur. Definit autem alter hoc modo[1]): *μεταφορὰ*

---

[1]) cf. Aristot. Poet. ed. Bekker p. 21 a vers. 22.

δ' ἐστὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ γένος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον etc.

λέγω δὲ ἀπὸ γένους μὲν ἐπὶ εἶδος, οἷον·

νηῦς δέ μοι ἥδ' ἕστηκε·

τὸ γὰρ ὁρμεῖν ἐστιν ἑστάναι τι·

ἀπ' εἴδους δὲ ἐπὶ γένος

ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργεν·

τὸ γὰρ μυρίον πολύ ἐστιν, ᾧ νῦν ἀντὶ τοῦ πολλοῦ κέχρηται. ἀπ' εἴδους δὲ ἐπ' εἶδος, οἷον·

χαλκῷ ἀπὸ ψυχὴν ἀρύσας·

καὶ ταμὼν ἀτείρει χαλκῷ·

ἐνταῦθα γὰρ τὸ μὲν ἀρύσαι ταμεῖν, τὸ δὲ ταμεῖν ἀρύσαι εἴρηκεν.

Atque Quinctilianus hanc definitionem proponit [1]: Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Apud eum tropus est notio latius patens, cujus speciem metaphoram sive translationem nuncupat, et de ea pergit: Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo proprium deest aut translatum proprio melius est. Id facimus aut, quia necesse est aut, quia significantius est aut, quia decentius. — Aristotelis quidem definitio mihi rem parum conficere et ipse adeo in tragoedia et epopoea considerandis occupatus fuisse videtur, ut adversus comoediam iudicis minus aequi partes egerit. Neque enim quisquam erit, qui definitione supra citata edoceatur, cur metaphorae tantam vim comicam habeant. Quinctiliano vero multo majorem comoediae rationem haberi cognoscere possu-

---

[1]) cf. Quinct. VIII. 6. initio.

mus, id quod praecipue ex comparativis „significantius et decentius“ [1]) elucet. — Equidem vim comicam metaphorae in eo sitam esse existimo, quod plerumque animalia cum inanimis, magna cum parvis, proxima cum longinquis, alta cum humilibus, magnifica cum vilibus, sacra cum profanis et versis vicibus, dico contraria, cum virtute, id est efficaciter atque ita, ut etiam in contrariis aliquid similitudinis inesse eluceat, comparantur; ut Pseud. 335 Juppiter lenonius, cf. *Ζεὺς ξένιος* et *ἐφέστιος*. Idcirco in metaphoris comicis superjectio et in maximum et in minimum adhibita, graece *ὑπερβολή* nuncupata, quam Quinctilianus recte in tropis numerat, paene primas partes agit ac multo latius patet quam in tragoedia, id quod utriusque naturae est plane consentaneum [2]).

Sed ut ad Plautum redeam, non solum efficacitas, sed etiam proprietas translationum legentes, qui scriptorum virtutes scrutantur, attrahit. Sunt igitur dignae, quae colligantur, collectae distribuantur idque eo magis, quod, ut infra apparebit, etiam alia gravis res in iis inest. Atque etsi contendi non potest Plautum in ea re nihil a Graecis esse mutuatum, tamen ei id meritum adjudicari debet, quod plurimas metaphoras ipse finxit et aliunde petitas popularium rationi cogitandi et facultati percipiendi accommodavit, qua in re maxime admirabile ejus ingenium cernitur. Neque enim solum est poëtae vere popularis populum ad se tollere, sed, ut illud possit, ad eum descendere et ex ejus vita et usu fabulas haurire, quae si excultae et a

---

[1]) cf. supra.

[2]) cf. ibidem sub finem: Quo magis intuendum est, quousque deceat extollere, quod nobis non creditur; pervenit haec res frequentissime ad risum.

sordibus vitae, sicut est, purgatae ei redduntur ac producuntur, ad populum educandum sunt maxime idoneae. Imprimis autem fabularum poëta in metaphoris eligendis, quid audientium rationi cogitandi facultatique percipiendi dari possit, videre debet atque facile apparet optime eum facturum, si ex iis vitae provinciis metaphoras arcessit, quae studiis vel cognitioni illorum proximae ac facillimae intellectu sint. Plautus vero quum metu censoris deterritus res Romanas exagitare et ludibrio habere non auderet, sed serios mores domesticos persequi deberet, lubricas fabulas, quippe quae ad comoedias aptissimae essent, a Graecis ascivit; quibus in perstringendis minus religiosus esse potuit, quod longinqui erant atque cum propter mollitiem tum, quod alienigenae erant, odiosi. Quo in odio fortasse sola excusatio inest, quod in fabulis Plautinis ea reperiuntur, quae ab humana natura plane aliena esse debent, ut supra memoratum est filium patris mortem cupientem a poëta fieri. — Tamen locus scenae, quem plerumque Athenas esse fingit, nunquam Romam neque oppidum Romanum, nomina et instituta Graeca, quorum fit mentio, nihil aliud sunt nisi tegumentum, sub quo poëta eo vehementius cum securitate vitia aetatis et civitatis suae increpat. Graecas autem fabularum personas obvolutas modo Romanas esse optime ex metaphoris cognosci potest, quae vere Romana lineamenta gestant; ut, si Plauti comoediae unus fons fuisset, unde vitae Romanae cognitionem haurire possemus, inde, quantum singulae vitae provinciae metaphoris illustrantur, cum fide haud contemnenda de populi studiis et moribus Romani ejus aetatis colligere possemus. Quare eo magis operae pretium erit in metaphoras

Plautinas incumbere. Quoniam autem eo ipso, quod ex omnibus vitae partibus et domesticis et publicis promuntur, eam vim habent, ut historiae alicui adjumento inservire possint, singulis vitae provinciis in metaphorarum generibus statuendis ducibus utar. Quod si erunt, quibus in Terentio, Horatio, comicorum Graecorum fragmentis excerpendis nimius ego fuisse et tamen parum similia aut paria attulisse videar, id feci non tam ut metaphoras Plautinas ad fontes suos revocarem, quam ut demonstrarem, quousque alii quoque comici et cum his Horatius, sermonum poëta, ex iisdem vitae provinciis ac Plautus metaphoras petierint. Nonnunquam sane primo obtutu perspici potest Plautum a Graecis imaginem mutuatum esse, ut *καρδία ὀρχεῖται,* cui plane respondet latinum: cor salit; et quotiescunque tales similitudines vel mutuationes occurrent, earum peculiarem habebo rationem vel saltem ex iisdem vitae regionibus aliquid analogi, ut ita dicam, afferam. In metaphoris autem distribuendis adeo illud Protagorae hominem omnium rerum modum esse sequar, ut omnia ad hominem referam. — Itaque priore loco ea ponam, quae ad hominem solum et ipsum secundum ejus naturam pertinent, altero relationes, quibus ad alia, sive homines sive animalia sive res, accedit, respiciam ita, ut metaphorae in duas partes discedantur. Ac prior quidem pars duas species complectitur, dico eas metaphoras, quae prosopopoeïae vocantur, et eas, quae a corporis humani membris petuntur. Aeque altera in duas species diffinditur, in eas, quae ab hominis vita domestica, et eas, quae ab ejus vita publica prodeunt. Versatur enim ille et in aedibus, rebus rusticis, artibus, et in re publica, bello. Ad aedes spectant culina,

epulae, ludi in epulis usitati, supellex; ad vitam familiarem conjugium, puerorum educatio, quae literis fit, servi, sacra, quibuscum fabulas, theatrum, circum cohaerere demonstrabo. In rei rusticae adumbratione, ut aequum est, ratio habebitur plantarum et animalium domesticorum. Artium dua genera pono, positorum metaphoras enumerabo, dico humiles, quas nos „Handwerke“ appellamus; simul de instrumentis disseram; alterum genus erit ingenuarum artium. — In mercatura autem quoniam homo et sibi, et toti civitati operam dat, eam ad utrumque genus revocavi. Et quoniam mercatura etiam trans mare extenditur, ei metaphoras ex mari haustas adiungam. In re publica capessenda etiam rem judiciariam asciscam, in bello describendo venationem, quippe quae ad illud sit quaedam praeparatio, et feras, ut quas venatio petat. Atque, ut propositum est, primas eas translationes tractemus, quae ab homine sunt petitae, earumque priores, quae ab homine toto proficiscuntur, dico prosopopoeïas, posteriores, quae existunt comparatione cum ejus partibus facta, id est artubus, qui rursus comparatione cum toto homine peracta in personas vertuntur. Huc etiam eas translationes traham, quae ab animalibus ad res animandas petitae sunt, neque eas prosopopoeïis sejungam. Eo metaphorarum genere sermoni maxime vita quaedam inflatur, inanima animalia, res et bestiae animo et sensu praeditae apparent.

Cap. 1.

A. Metaphorae ab homine petitae.

I. a toto homine.

In iis rebus poëta summa cum virtute prosopopoeïa utitur, quae motu naturali vel artificioso vitae speciem praebent aut animandi aliamve vim moventem habent; ea sunt tempus (annus, dies) ignis, aër, aqua (mare, flumen, rivus, fons); navis, fores, pessuli; vinum, cena; fames, virgae.

Sic legimus Asin. 292 *diem lacerare,* ubi dies vel tanquam homo vel bestia cogitatione tractatur, sicut in multis aliis sequentibus. Stich. III. 1. 36. me in culpa habeto, nisi probe *excruciavero* sc. diem.

Men. I. 2. 47. atque hunc *comburamus diem.* Capt. III. 1. 14. nam hercle ego huic die [i], si liceat, *oculos ecfodiam* lubens. Plauti fab. fragm. 13. Bis compressa. qui *comminuit* misero *articulatim diem;* etiam nos dicimus: Die Zeit, den Tag todtschlagen, zerstückeln. Haec translatio plerumque in eorum ore versatur, qui irati sibi aliquid praeter opinionem male cecidisse et nescientes, in quem culpam conferant, diem, quo calamitas iis accidit, occidere i. e. ex memoria et serie dierum extingui volunt, quasi ille sit casus auctor[1]). Tempus vel ejus partes etiam apud alios comicos[2]) in personas verti videmus, maxime apud

---

[1]) cf. Ijob cap. 3. v. 3.

יֹאבַד יוֹם אִוָּלֶד בּוֹ וְהַלַּיְלָה אָמַר הֹרָה גָבֶר׃

(Pereat dies, quo natus sum, et nox, quae locuta est se marem recepisse.)

[2]) cf. Shakspearius: *the old bell — ringer time.*

cf. Ter. Eun. IV. 5. 12. *Festus dies;* blanda hominis allocutio est.

Graecos[1]), quos omnino in hac arte insigni cum virtute versatos esse mythologia docet. Deos enim nihil aliud quam prosopopoeïas esse eorum, quae in natura fiunt, vel rerum neque visu neque tactu manifestarum ne veteres quidem fugit. Sic tempus quoque, anni tempora, horas, occasionem in personarum vel potius deorum ordinem extulerunt.

Igni, qui, qua est levitate, in superius abit, et tanquam anguis lingua res corripiendas lambit[2]) et velut fera esuriens correptas consumit, iisque, quae ad ignem pertinent[3]), actus quidam datur. Aulul. 54. *ignis vivit.*

---

[1]) cf. Cratetis (v. Meinekii fragmenta comicorum Graecorum, ex quibus plerique loci graeci citati sunt) fab. inc. 2. 248 (2).

ὁ γὰρ χρόνος μ᾽ ἔκαμψε, τέκτων οὐ σοφός,
ἅπαντα δ᾽ ἐργαζόμενος ἀσθενέστερα.

Antiphanis fab. inc 4. 156 (72).

μάλιστα δ᾽ ἐκπλήττει με τῶν συνειδότων
ὁ χρόνος, ὃν ἀεὶ λανθάνειν ἀμηχανῶ.

Simyli cujusdam cf. Stob. Floril. LX. 4. 4—7 et Meineke praef. XIII. *χρόνον*
κριτὴν τὸ ῥηθὲν δυνάμενον συναρπάσαι.

[2]) cf. Hor. sat. I. 5. 75.

[3]) cf. Hor. sat. I. 6. 124. *unguor olivo,*
non quo fraudatis immundus Natta lucernis;

Natta enim oleum, quo unguitur, ex lucernis demit itaque eas quodammodo fraudat.

deinde cf. notum illud Horatii a. p. 139. *parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* spectat versus ignivomos montes, quos poëta tanquam mulieres parturientes esse fingit, priusquam erumpant.

cf. Antiphanis *Φιλοθήβαιος* 4. 125 (7, 20—1).

τευθὶς (piscis quidam) *μεταλλάξασα λευκαυγῆ φύσιν*
σαρκὸς πυρωτοῖς ἀνθράκων ῥαπίσμασιν.

hoc loco igni vis attribuitur colaphos impingendi, quibus piscis vel potius ejus carnis color mutetur, sicut hominis bucca colapho ferita rubet. cf. Shaksp.: King John. act IV. sc. 1. cf. Eubuli *Τιτᾶνες* 4. 259. *λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ λαλήματι* sc. ignis vi. nos similiter: Der Topf sive das Wasser singt, der

Aqua et aër propter liquidam fluidamque naturam, quae vitae simillima est, velut anima praedita cogitantur: Aul. 55. *aqua aufugit.* Poen. III. 3. 15. viam qui nescit, qua deveniat ad mare, eum oportet, *amnem,* quaerere *comitem,* sibi[1]) id est: qui de re, quam nescit, certior vult fieri, eum aliquem scientem consulere opus est. Men. I. 2. 47 quasi *mare omnis circuimus* insulas; hic mare est instar viatoris, qui omnes terras et insulas circumit[2]). — Contrarium, i. e. hominis cum mari comparatio, saepissime reperitur, ut infra apparebit[3]) exemplum quidem navis prosopopoeïae unum reperitur, sed ea ipsa abstrusior est. cf. Men. II. 2. 75 et infra de notionis redeunte progressu excursionem. — Maxime vero propria ratione poëta foribus vitam et actum dedit. In

---

Samovar summt, die Tonne lechzt, de dolio solis ardore siccato. cf. Lenau's Ged. In der Wüste sub finem: Der dürre Sand lechzt empor nach unseren Thränen.

[1]) cf. Hor. a. p. 68 *amnis — doctus iter melius* et ep. I. 14. 29. *Addit opus pigro rivus, si decidit imber — multa mole docendus aprico parcere prato* et ep. I. 1. 84. *lacus et mare sensit amorem — festinantis heri.*

[2]) mare in personam vertit Homerus cf. *νῶτα θαλάσσης.* Ovidius Proteum aequora premere narrat. — Euphron *Μοῦσαι* 4. 491. *μεστὴν ζέουσαν λοπάδα Νηρέων τέκνων* i. e. ollam undarum seu aquae plenam. — Nausicrates 4. 575 (1, 3) *πελαγίοις ἐν ἀγκάλαις.* cf. Aeschyl. *ποντίαις ἀγκάλαις* et *ψυχὰς ἔχοντες κυμάτων ἐν αγκάλαις*; nos quoque: Meeresarm cf. Uhland: Der blinde König: Dass überm Meeresarme das Eiland widertönt. Similiter aër et venti tractantur cf. Poliochos *Φιλάδελφοι* 4. 591. *Λεπτὴ δὲ κυρτοῖς ἐγγελῶσα κύμασιν αὔρα — ἡσύχῳ ποδὶ προςῆγε πράως.* Shakspearius ventos dicit viatores nunquam defatigatos cf. Schillerum. Demetr. Marfa: Du allverbreitet ungehemmte Luft, die schnell die weitste Wanderung vollendet. cf. Maria Stuart: Eilende Wolken, Segler der Lüfte, wer mit euch wanderte etc.

[3]) cf. Hom. *νῆες μιλτοπάρῃοι.* navibus sicut personis genas poëta tribuit. In anglico sermone »the ship« feminini generis est; ceterae res omnes fere neutrius.

aperiendo enim et concludendo poëta actione hominis omissa aliquid ab ipsis factum videt, ut superciliorum remissione et contractione motorum vel maxillarum imago oriatur et postea notione membri omissa translatio in totum i. e. in hominem transeat. Sic Curc. 150. *ludii* barbari fite causa meae. e. subsilite sc. fores. Most. III. 2. 144. viden, *coagmenta* in *foribus,* quam recte *dormiunt,* ut *conivent?*[1]) Similiter Curc. 153. *pessuli dormiunt,* Truc. III. 3. 29. Sed *aestuosas* sentio aperiri *fores* quae *absorbent,* quidquid venit intra *pessulos;* ut translatio hoc loco perfecta esset, mihi videtur, pro verbis „*intra pessulos*" intra dentes poni oportuit Homeri locutionem ἕρκος ὀδόντων recordatus. Asin. 386. nolo ego *conservas* meas a te *verbarier;* conservas servus fores appellat, quod, ut ipse, saepe pulsantur. ibidem 390. sic *janua* est *morata.* Truc. II. 4. 1. *janua* est *mordax* mea. Curc. 154. mihi *morigeri* sunt *pessuli,* id est: mihi recluduntur; omnino hic totus locus a versu 149—70 prosopopoeïis pessulorum scatet. Curc. 161. *foribus* dat *aquam,* quam *bibant;* anus conspergit cardines forium, ne crepent, aqua — ipsa merum bibit. cf. Poen. III. 2. 32. *fores* hae *fecerunt* magnum *flagitium;* sc. valde crepuerunt. — Most. IV. 2. 9. heus, ecquis hic est; maxumam qui his *injuriam foribus* defendat? sc. ne pulsentur. cf. Rud. II. 4. 1. quis est, qui nostris tam proterve *foribus facit injuriam?* Capt. IV. 2. 52. assulatim *foribus exitium dabo,* i. e. fores pulsabo aut frangam. — Quae ad corpus hominis alendum opus sunt, iis, quoniam vitam conservant, ipsis vita quaedam

---

[1]) Similiter Shaksp. sed cum contraria ab homine ad domum translatione dicit: Richard III. act V. Richmond: to shut the windows of the eyes: claudere oculorum fenestras.

cogitatione tribuitur, ut cenae sive victui sive cibis, vino similibusque. Atque ut a vino incipiam, duplici est vi, recreandi vel incitandi et ebrium reddendi, qua ex duplici natura duplex metaphorarum genus manat: Amph. 277. ut *matre* fuerat *natum, vini eduxi* meri sc. hirneam; vinum partus, cadus matris vices habet. — Poen. III. 3. 87. ubi tu *vetustate vino edentulo* aetatem *irriges* i. e. vino, quod tempore ex acerbo mite et dulce factum est; acerbitas quasi bestia acri dente mordet. Stich. I. 3. 58. *potationes* plurimae *demortuae* i. e. mihi amissae sunt. — Trin. IV. 3. 9. huic, quisquis est, *gurguliost exercitor, is* hominem hunc *cursuram docet;* in temulentum dictum est, qui huc illuc titubat velut male saltans; gurgulio hic legitur pro vino. Pseud. V. 1. 3. magnum hoc *vitium vinost, pedes captat* primum, *luctator dolosust;* quod in eundo pedes temulentiam ostendunt nec corpus sustinent, ut titubet aut cadat[1]).

Translationes victus eorumque, ex quibus ille constat, cenae et ciborum, maximam partem parasitis iisque, quibuscum agunt, in ore sunt: Cas. III. 6. 30. facite *cenam,* ut *ebria* sit, i. e. ut ebrios reddat; translatio fit a personis ad rem efficientem. Stich. I. 3. 58. quot adeo *cenae,* quas *deflevi, mortuae.* cf. supra et I. 3. 61.

---

[1]) cf. Diog. Laërt. II. 120.
ἀλλ' οἶνον εὗρε τῆς κακῆς συνωρίδος (sc. *γήρως καὶ νόσου*)
φέρτερον ἡνίοχον, πιὼν γὰρ ἤλασεν. —
Antiphanis *Αἴολος* 3. 8. v. 4—6.

εἶτα παραλαβὼν ποτε
οἶνον στρατηγόν, ὃς μόνος θνητοῖς ἄγει
τὴν τόλμαν εἰς τὸ πρόσθε τῆς εὐβουλίας.

Strattidis fab. inc. 2. 788 (3).

οἶνος κοκκύζει τοῖς ὁδοιπόροις πιεῖν.
sicut illex aves allicit.

Men. III. 2. 27. *fecisti funus* med absente *prandio*, i. e. prandium consumpsisti. Capt I. 2. 82. Nam meus scruposam *victus commetat viam;* victum quasi viatorem, ciborum ordinem sive seriem semitam, dentes pedes esse senex fingit. ibidem IV. 2. 123. quanta *pernis pestis veniet*, quanta *labes larido*, quanta *sumini apsumedo*, quanta *callo calamitas*. — nunc ibo in meam praefecturam, ut *jus dicam larido* et quae pendent *indemnatae pernae*, eis *auxilium* ut *feram* sc. eas depromendo. ibidem I. 2. 56—61. *Pistorienses, Panicei, Placentini, Turdetani, Ficedulenses*, tum *maritumi* omnes *milites* opus sunt, — pisces dicit. Cibi gentium nominibus inducti qnasi milites incedunt. Pers. I. 2. 25. *visam* hesternas *reliquias, quierint* recte necne, num *is fuerit febris;* reliquias igitur parasitus tanquam medicus tractare vult; illae ei tantidem sunt quanti medico aegroti homines[1]). — Aeque a parasitis fames, cui sedandae summam dant operam, personae loco habetur. Curc. 318. *lippiunt fauces fame*, de quo loco infra copiosius agetur, ubi de translatis singulorum membrorum sensibus disseram. Stich. II. 1. 1. *Famem* ego fuisse suspicor *matrem* mihi; id parasitus suspicatur,

---

[1]) cf. Timoclis. *Ἥρωες*. 3. 599 (2). *βίου τιθήνη, πολεμία λιμοῦ, φύλαξ φιλίας, ἰατρὸς ἐκλύτου βουλιμίας, τράπεζα.*

Damoxenis *Σύντροφοι* 4. 530. v. 24.

τὸ δὲ

ληφθὲν (sc. *βρῶμα*) *καθ᾽ ὥραν ἀποδίδωσι τὴν χάριν.*

cf. 4. 584. v. 31. *τῶν γὰρ βρωμάτων*

τιμωρίαν ἔχοντ᾽ ἐνὶ ἔστιν.

Diphili *Πελιάδες* 4. 406. v. 4. *εἰς τὸ μέσον ἐπεχόρευσε σαπέρδης μέγας.* Nos similiter per jocum dicimus: Der Häring steht Schildwach'.

cf. 4. 259. *πηδῶσι δ᾽ ἰχθῦς ἐν μέσοισι τηγάνοις.* Pisces aqua fervente in superius et inferius agitati speciem praebent in lacu sive flumine vivorum.

quod semper ab ea teneatur. Stich. 341. *fames medullam perbibit;* quasi fames sit animal sitiens[1]).

Hominis cogitatio, quae amat desideratque, eodem modo, quo, quae metuit atque effugere vult, vi quadam animalis induit. Ut parasitus famen odit, sic servus vel captivus servitutem ejusque poenas: virgas, vincula, crucem; inde earum rerum translationes: Asin. 306. istoc *testamento servitus* tibi *legat;* servitus veluti testatrix est, quae supplicium pendendi legat. — Capt. III. 1. 117. *vae* illis *virgis miseris,* quae hodie in tergo *morientur* meo, i. e. in tergo meo frangentur sive contundentur. Bacch. II. 3. 131. si illi sunt *virgae ruri,* at mihi *tergum domist* i. e. tergum negotium reperit; vapulat. Poen. prol. 18. neu *virgae muttiant;* de sono dictum est, quem virgae incussae edunt. Pseud. I. 3. 97. *greges virgarum adegero;* quippe qui in tergo verberibus quodammodo pascantur. — Capt. III. 1. 118. quid *cessatis, compedes, currere* ad me meaque *amplecti* crura, ut *vos custodiam?* — Mil. II. 2. 29. nisi quidem nos volt, qui servi sumus, propter amorem suum omnis *crucibus contubernales* dari. cf. Fores conservas.

Deinde personarum partes ad eas res deferuntur, quae gravissimae sunt vitae humanae vel perpetuorum ejus comitum vices gerunt. Huc pertinent: animus et quae ejus propria sunt: cogitationes, dolus,

---

[1]) cf. Cratini fab. inc. 2. 222 (143).

ὄφρα σε λιμὸς ἐχθαίρῃ,

pariter Hesiodus Opp. 299.

ὄφρα σε λιμὸς
ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δέ σ' ἐϋστέφανος Δημήτηρ.

Festivissime Antiphanes famem personae partes agentem facit. cf. 4. 125. *Φιλοθήβαιος* v. 23.

δείπνου προφήτην λιμὸν ἐκκαλουμένη
sc. *τευθὶς ὠπτημένη.*

injuria, mores; deinde quae homini simillima semperque proxima est, umbra, quin etiam, quo, quod umbrae simillimum est, efficitur, speculum, quippe quod hominis imaginem repercutiat; tum, sine qua nec naturalis nec socialis vita cogitari potest[1]), res familiaris sive argentum sive aurum sive aliae possessiones, ut aedes et fundus: Trin. IV. 3. 86. *res* quom *animam agebat*, tum esse *offusam* opportuit i. e. res quom salva erat, — in sequentibus verbis res pro homine posita est — Merc. I. 1. 43. ilico *res exulatum* ad illam (sc. meretricem) clam *abibat* patris i. e. pecunia a me ad illam transiit; legitimus vel pristinus possessor rei patria est; meretrix, quae illam improbe sibi paravit, terra peregrina, in qua pecunia exul i. e. non domi est nec diu manebit, quoniam plerumque male et celeriter parta eodem modo dilabuntur. Simile quiddam est: ibidem III. 4. 6. *exolatum* abiit *salus*. — Men. prol. 59. et *liberorum*, nisi *divitiae*, nil erat; quodammodo divitiae et ipsae sunt liberi, siquidem viribus et opera pariuntur. Similiter apud Graecos usurae τόκοι vocantur: — Epid. I. 2. 14. *auxilium emortuom* est; quod significat: auxilium perdidi vel potius non reperiam. Stich. V. 5. 10. vapulat peculium i. e. perit[2]). Capt. II. 2. 78. odi *aurum*; multa multis saepe *suasit* perperam[3]). Persa 852 sescenti *nummi* quid *agunt*? quas *turbas danunt*?

---

[1]) Nos quoque in sermone quotidiano pecuniam latina locutione »nervum rerum« jocose nuncupamus. cf. Menand. *γνῶμαι μονόστιχοι* 5. 342 (74) *βίος βίον δεόμενος οὐκ ἔστιν βίος* et proverbium Polonum: człowiek bez pieniędzy jest trupem chodzącym. homo sine pecunia cadaver est incedens.

[2]) cf. Ter. Heaut. IV. 2. 11. *Fugitivum argentum.*

[3]) cf. Menandr. sent. 4 360 (711) *ἔχει γὰρ χειραγωγὸν τὸν πλοῦτον ὁ γέρων.*

Truc. I. 2. 78. Non hercle *occiderunt* mihi etiam *fundique* et *aedes*. i. e. eas non perdidi. Capt. III. 5. 12. quia *dilaceravisti deartuavistique* meas *opes*. i. e. consumpsisti. Truc. II. 8. 8. his *suffringam talos* totis *aedibus*, sc. hominibus, qui aedes obtinent. — Trin. II. 1. 4. *Magister* mihi *exercitor animus* nunc est; cf. Pers. 709. *animus* jam in *navist* meus; cf. Pseud. I. 1. 32. contraria ratio inest in frequentissima apud Plautum amantium allocutione: *mi anime* cf. nostrum: mein Leben! — Truc. II. 5. 9. *dolus* ne *occidat* morte pueri i. e. ne dolus irritus fiat. Capt. III. 3. 5. nec subdolis *mendaciis* mihi usquam *mantellumst* meis i. e. ea occultare jam non possum. — Rud. III. 2. 12. *praetorquete injuriae* prius *collum*, quam ad vos pervenit; sc. ei, qui illam facere conatur, obsistite. Trin. IV. 3. 38. hercle istis *malam rem magnam moribus* dignumst *dari* sc. iis, qui illis affecti sunt[1]). — Pers. II. 4. 27. nam *umbra* mea jam intus *vapulat*, i. e. intus jam irati me expectant et de mea poena deliberant. — Most. I. 3. 199. Ego illi *speculo diminuam caput*. cf. Men. V. 9. 3. quid vides? *speculum tuum;* ad summam similitudinem significandam hic speculum dictum est[2]).

II. metaphorae a corporis humani partibus petitae:

Proximae sunt intellectui hominis prosopopoeïae corporis partium, quippe quae ipsae vita sensuque perfundantur. Sic caput, supercilium, aures, os,

---

[1]) cf. Lysippi *Βάκχαι*. 2. 745 (5). *ἀνακνάψας καὶ θειώσας τὰς ἀλλοτρίας ἐπινοίας* sc. eos, qui illarum sunt auctores.

[2]) Eandem rem exprimit Cratinus. cf. *Ὧραι* 2. 165 (5). *ἐκεῖνος αὐτὸς ἐκμεμαγμένος*, praeterquam quod hic de similitudine filii et patris agitur. nos: wie herausgeschnitten cf. Gesichtsschnitt.

dentes, lingua, et quae ad eam pertinent: vox, verbum, sermo; deinde pectus, frequentissime cor, quippe quod vitae quasi domicilium putetur. tergum sive dorsum sive scapulae, lien, venter, manus, pedes personarum vices a poëta accipiunt. Sed ut a capite incipiam, ex comoediis Plautinis exemplum nisi contrarii afferre nequeo: Asin. 728. ego *caput* huic argento fui reperiendo i. e. rationis auctor fui, qua argentum repertum est[1]). — Pseud. I. 1. 110. ita ***supercilium salit;*** id est omen, quod quodammodo praedicit aliquem rem bene acturum esse. cf. infra. dentes pruriunt, id quod contrarium significat. Asin. 331. ***aures expectant*** meae (cf. infra de sensuum translationibus); deinde Mil. III. 3. 10. postquam ***adbibere aures*** meae tuae ***loream orationis***[2]); praeterea sensus est translatio — nos quoque: Das Ohr trinkt die Töne. — ibidem. IV. 1. 8. ***auris*** meas ***dedo*** in ***ditionem*** tuam i. e. attente et patienter auscultabor, sicut subditum decet (cf. dicto audiens sum). Amph. 179. ***vox verberat***[3]) aures i. e. sermo tuus offendit vel languorem affert; duplex in ea sententia inest prosopopoeïa, id quod frequenter reperitur. cf. Mil. III. 1. 204. ne mi, ut surdo, ***verbera aures*** et Hor. Od. III. 12. 4. Patruae verbera linguae. Pers. IV. 3. 25. benedictis tuis benefacta ***aures*** meae auxilium ***expostulant*** i. e. ut benefactis tuis benedicta tua juventur, ut haec illis respon-

---

[1]) similiter Ter. And. II. 6. 27. quam si hic malist quicquam, hem illic est huic rei *caput* i. e. auctor. cf. Ter. Andr. II. 2. 34 et saepius; *ridiculum caput!* Adolph. II. 3. 8; V. 9. 9; Eun. III. 3. 25. contra recta est prosopopoeïa cerebri: Hamlet, act. II. sc. 2. about, my brain! cerebrum ad meditandum adhortans.

[2]) cf. Iuven. 9. 113. *aurem inebriare.*

[3]) cf. Schubart: Der ewige Jude: Und geiselte mit meinen Seufzern die Schwefelmündung. sc. Aetnae.

deant; ceterum ab ore ad aures translatum est. — Pseud. IV. 1. 27 *aedes hiscunt;* tanquam rictus vel os. Amph. I. 1. 142. *dentes pruriunt;* cutis sensus translatus est ad dentes cf. Poen. V. 5. 36. Mil. I. 1. 34. ne *dentes dentiant* i. e. fame excidant, sicut liberis certa aetate accidit, ut dentes commutent. — Asin. 291. *jubeo hanc tacere* sc. linguam, 292 eadem *patrona* appellatur. Amph. I. 1. 72. *vox advolavit;* quasi sit volucris. ibidem 179. *vox verberat aures;* quod supra memoratum est. — Stich. II. 1. 37. ei hercle *verbo* ego *lumbos defractos* velim. Fragm. fab. Plaut. Dyscolus. virgo sum, nondum didici *verba nupta;* ea sunt verba, quae solas nuptas decent. — Cas. III. 6. 13. *foetet sermo:* i. e. detestabilis est propter absurditatem et obscenitatem. — Mil. II. 4. 44. ita *dorsus* totus *prurit;* ipsum quoque omen est, ut dentes pruriunt, supercilium salit. nos quoque: Mein Auge juckt mich cf. Othello. act. IV. sc. 3. Desdemona: Mine eyes do itch; doth that bode weeping? Bacch. II. 3. 131. si illi *sunt virgae ruri,* at mihi *tergum domist* cf. supra. Pers. I. 1. 31. *scapulae pruriunt;* et ipsum malum omen est. perinde Asin. 315. *scapulae gestibant* mihi. Trin. IV. 3. 2. ne subito *metus exoriatur scapulis* stultitia tua; sensus a toto homine translatus est ad partem. — Fragm. Frivolaria 6. tum *papillae* primulum *fraterculabant,* illud volui dicere: *sororiabant;* papillae fraterculorum vel potius sororum sunt instar. cf. Pseud. 1261. *corpora conduplicare*[1]). — Pectus a poëta pro domo accipitur, in qua cor habitat. Aul. 580. *cor* coepit *artem facere ludicram,* in pectus *emicare* i. e. metu palpitare

---

[1]) cf. Othello, act. I. sc. 1. the beast with two backs.

et erigi cf. cor salit[1]), quod invenitur Cas. II. 6. 62; Cas. II. 6. 9. *adsultascit* sc. cor. Cist. II. 3. 9. Mil. IV. 2. 96. — Pseud. IV. 3. 17. *cor conligatis vasis expectat* meum ut *exulatum* expectore *aufugiat* meo i. e. supplicium praevideo atque opperior. Capt. III. 1. 103. quin quiescis, *i dierectum, cor* meum, ac *suspende te*; quasi cor sit servus, cui supplicium impendeat. cf. Mil. II. 2. 47. *cor,* credo, *evocaturust* foras sc. servus. — Pro sensu et affectibus, de quibus primum in prosopopoeïa cogitatur, ea membra, in quibus illi creduntur vel vere siti sunt, in personas transferuntur, ut de corde modo vidimus; similiter lien. Merc. I. 2. 14. *seditionem facit lien,* occupat praecordia cf. Cas. II. 6. 62. *cor lienosum,* opinor, habeo, jam dudum *salit;* lien enim vehementer cursando valde laborat et pungitur, quo homini magni dolores efficiuntur et spiritus demitur. Itaque Acanthio, cujus sunt verba supra memorata, addit: perii! animam i. e. spiritum — nequeo vortere; nimis nihili tibicen siem; tibicini enim anima maxime opus est, quam in tibiam inflet. cf. Curc. 240 *lien dierectus;* tanquam servus vapulaturus. — Venter plerumque apud parasitum personae partes agit, sicut cena, fames; hunc enim colit tanquam dominum vel amicum[2]). Cas. IV. 3. 8. mihi

---

[1]) nos dicimus: Das Herz hüpft, sed de gaudio modo, de sollicitudine vel timore: Das Herz zittert, bebt etc., sed »cor salit« de utroque affectu valet.

Prosopopoeïa cordis summa cum virtute peracta reperitur: Anaxandrid. 3. 198 (8).

ὦ πονηρὰ καρδία
ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος
ὀρχεῖ γὰρ εὐθύς, ἂν ἴδῃς δεδοικότα.

[2]) cf. Cratini fab. inc. 2. 222 (143). *σῇ γαστρὶ δίδου χάριν.* Contrario sensu Horatius ventri personae partes dat sat. I. 5. 8. *ventri indico bellum.*

inanitate jam dudum *intestina murmurant;* nostrum: der Magen knurrt a cane irato depromptum est[1]). — Manus et pedes quodammodo servi sunt dicto audientes voluntati sententiisque animi, unde fit, ut personarum loco ponantur. Asin. 202. *manus* sunt *oculatae*[2]) cf. Ant. III. 6. 19. — Poen. I. 3. 7. Nunc obsecro te, Milphio, hanc per dexteram perque *hanc sororem laevam.* Amph. 170. *gestiunt pugni* mihi i. e. verberandi cupidus sum; at „scapulae gestibant" contrarium significat: metuo, ne verbera accipiam, quoniam scapulae verbera excipiunt, pugni impingunt. — Merc. I. 2. 13. *genua* hunc cursorem *deserunt;* veluti perfidi milites ducem. Pseud. V. 1. 1. *pedes, statin'* annon? Men. II. 2. 75. adservatote, haec sultis, *navales pedes*[3]); sic Messenio remiges alloquitur; quod enim homini pedes valent, id navi remiges, qui illam promovent; navis igitur hoc loco tanquam homo vel animal tractatur. Asin. 728. ego *caput* huic argento fui reperiendo — ego pes[4]) fui i. e. cucurri, ut argentum

---

[1]) cf. Hor. sat. II. 2. 18. cum sale panis *latrantem stomachum* bene *leniet;* et II. 8. 5. quae prima *iratum ventrem placaverit* esca. cf. sat. II. 8. 9. *pervellunt stomachum* sc. variae herbae: stomachus tanquam servus tractatur, acres herbae flagelli sunt instar.

[2]) cf. Martial. 2. 25. *manus credunt, quod vident.*

[3]) cf. Quinct. 8. 6. simile qniddam: *volucris pennis remigare;* illic homines vel eorum manus, hic pennae, quasi manus volucrum remis comparantur; navales enim pedes, si vis humana cogitatione omittitur, remi apparent; nos etiam de natantibus hominibus vel avibus vel piscibus praedicamus: sie rudern. In eo autem, quod remus imitatio demum est formae manus vel pennae vel pinnae et quod, quae remi sunt propria, in homines et animalia referuntur, rediens quidam, ut ita dicam, notionis processus cerni potest, quae res ab eo, qui, qua ratione significationes oriantur, progrediantur, mutentur, inquirit, id quod semasiologiae quae vocatur est, certo frequentissime reperietur.

[4]) Simile quiddam Curc. IV. 2. 14. *pedes* pro *„pediculi".*

afferam. — In convicio, quod parvo hominini fit, pars pedis allex sive hallex prosopopoeïae inservit. Poen. V. 5. 31. *allex viri* cf. nostrum Däumling, Duodezmännchen cf. *Μυρμηκάνθρωποι,* qui titulus est comoediae Pherecrateae deperditae (Meinek. 2. 310). Aliquid simile significat frustum pueri: Pers. V. 2. 68. Aliae quoque a corporis partibus translationes fiunt, quibus res animantur atque illustrantur, ut Cas. II. 3. 22. vide *pallium* ut *rugat;* pallium tanquam frons se gerit cf. pag. 24, ann. 3; Plaut. apud. Gell. XVIII. 12. quid est hoc? *rugat pallium.* — Plaut. fragm. Cornicularia 6. qui amant ancillam meam *occulitus;* occulitus idem significat, quod *medullitus* i. e. penitus Truc. II. 4. 88. et *usque ex unguiculis* Stich. V. 5. 20; proprie significat „ex unguiculis" ex infimo; addendum est cogitatione „ad summum", quo facto respondet nostro: vom Scheitel bis zur Sohle sive Zehe i. e. ganz und gar. ad „occulitus" cf. nostrum: wie den Augapfel sive Augenstern. — Mil. III. 1. 12. sat speculabor, nequis nostro consilio venator adsit cum *auritis plagis* i. e. ne auscultetur; is, qui. ne audiat, metuitur, venator appellatur, aures percepturae cum plagis comparantur, quibus verba sunt velut pisces capiendi; ceterum cf. p. 24. ann. 3. de auritis plagis. Rud. III. 5. 36. *amplectitote* crura *fustibus* — velut brachiis. Qua ratione Graeci etiam crines ad metaphoras adhibeant, vide in nota[1]). — Notio defraudandi alludendo ad corporis

---

Francogallico in sermone significat pied plat pravum hominem et pied poudreux perfugam.

[1]) cf. Cratini Ὧραι 2. 163 (2).

παρατιλτριῶν
ἔχων χορὸν Λυδιστὶ τιλλουσῶν μέλη
πονηρά.

de carminibus, sicut de crinibus, praedicatur,

partes[1]) subtilissime variatur. Sic Capt. III. 1. 108. *deartuatus* sum hujus technis i. e. plane deceptus sum cf. *admutilare* Mil. III. 1. 173. Capt. II. 2. 19. Pers. V. 2. 148; perinde *tondere* Bacch. II. 3. 8; *attondere* Capt. II. 2. 16. Bacch. V. 2. 7. nos quoque verbum „barbiren" saepissime hoc sensu adhibemus; frequentissima est locutio os sublinere, quod sibi accidere plerumque patres sive senes plangentes audimus; ea locutio ex jocis puerilibus arcessita mihi videtur. Most. V. 1. 60. med *emunxisti*[2]). Bacch. V. 1. 15. *auro emunctum*. Epid. III. 4. 58. me *emunxisti mucidum*[3]); Pers. 796. *alicui manum adire* cf. nostrum „tippen",

---

ejusdem fab. inc. 2. 217 (138).

ὃς τὴν πίτυν
ἔκαμπεν ἑστὼς χαμόθεν ἄκρας τῆς κόμης
καθέλκων.

rami arborum crines dicuntur cf. Schubart: Der ewige Jude: Vom Haare der Bäume troff Feuer auf mich. et Aristoph. 2. 1201 (105). *Τίς ὄρεα βαθύκομα τάδ' ἐπέσυτο βροτῶν* i. e. montes arboribus densos. cf. Aeschyl. Prom. 743. *ὀρέων κρόταφα.*

[1]) Huc pertinet etiam illud Horatii sat. II. 3. 53. *caudam trahere,* a ludis puerorum depromptum, qui cauda bestiae alicujus vel lanea subnexa aliquem illudebant.

[2]) cf. Ter. Phorm. IV. 41. *argento emunxi.* cf. Hor. a. p. 238. *emuncto* lucrata Simone talentum.

[3]) cf. Francogallicam locutionem: Il se monche du pied, quae hominem stultum omniaque perverse facientem significat, quam nos vertimus: Er hat das Pulver nicht erfunden. Mirandum est hoc verbum nonnunquam contrario sensu occurrere cf. Hor. sat. I. 4. 8. emunctae naris, idem ac sollers, ad unguem factus. cf. Phaedr. III. 3. 14 et Quinct. XII. 10. 17, ubi emuncti idem valet, quod elegantes homnes cf. *μυκτὴρ Ἀττικός* i. e. sagacitas et nostrum: Er hat einen feinen Riecher et: Er riecht den Braten. Fortasse viam, quae ab una significatione ad alteram duxerit, reperimus, si cogitamus de deceptis, qui damno illato docentur (cf. proverbium nostrum: Durch Schaden wird man klug). Eadem fere ratio intercedit inter locutiones: Jemandem ein Licht aufstecken et ein erleuchteter Mensch.

qui est puerilis mos nostrae aetatis in mercatorum basilica quae vocatur. ceterum cf. metaphoras ab instrumentis et artibus de hac re infra allatas.

Virtutum sermonis poëtici est etiam sensuum inter se translatio, quae in prosa oratione praecipue de aegrotis vel mendo affectis, ut de caecis, turdis, hebetibus usurpatur, in nostro sermone frequentissima est, cum adjectiva: blind, taub, stumm, lahm saepe in actiones mentis vel animi et res quasdam transferri videamus, ut blinde Fenster, per quas spectare non possimus, taube Nüsse, lahmer Verstand, lahmes Schloss cf. Pott Kuhn's Zeitschrift II. 101 sqq. et Lobeck de metaphora et metonymia. Königsberg 1864. In poësi hic usus translationis sensuum multo latius patet et in comoedia propter insolitum et inexpectatum multum ad hilaritatem confert. Quo autem magis ingenua sunt membra, eo plures eorum translationes reperiuntur; plurimae igitur sunt oculorum et aurium. Ac membratim eas lustremus: Ab oculis ad aures transfertur: Asin. 331. *aures expectant* meae; si quidem hic expectandi verbum accipitur et intelligitur ut nostrum: ausschauen. Amph. 172. *vox advolavit* i. e. ad aurem; proprie aliquid advolans modo videre possumus. Ab auribus ad oculos: Mil. IV. 2. 98. clam nostrum hunc *sermonem sublegerunt* i. e. audiverunt. nostrum: auffangen a venatione sumptum est cf. ibidem III. 1. 10. Pseud. I, 4. 21. nunc huc concedam, ut horum *sermonem legam*. cf. nostrum simile quiddam: Ich möchte ein paar Zeilen reden. Men. V. 2. 113. agite equi, facitote *sonitus* ungularum *appareat* [1]).

---

[1]) cf. Cratin. 2. 17. (3) *εἶδες τὴν Θασίαν ἅλμην οἷ' ἅττα βαΰζει*; hic duae insunt translationes ab auribus ad oculos et ad linguam.

— Ab oculis ad guttur[1]): Curc. 318. *lippiunt fauces* fame; nos: Der Hals ist mir vom Hunger ausgedörrt, etiam magis hoc de siti dicimus; fames igitur faucibus morbum inurit, ut tanquam oculi lippi ferveant. A gutture ad aures: Mil. III. 3. 10. postquam *adbibere aures* meae tuae loream orationis[2]). Ab auribus ad linguam vel guttur: Most. V. 1. 19. *gustare* ego ejus *sermonem* volo. Trin. IV. 2. 63. *devoravi nomen* imprudens modo[3]). A naso ad aures vel mentem, ad quam illae quasi portae quemvis sonum intromittunt: Cas. III. 6. 13. *foetet*[4]) *sermo*. Ab oculis ad nasum[5]): Mil. IV. 6. 44. *Naso* pol jam haec quidem *videt* plus quam oculis. Ab ore ad nasum[6]). Mil. III. 2. 12. nam *eo* (sc. naso) magnum *clamat* i. e. stertit. — a cute ad dentes: dentes pruriunt; jam supra memoratum est. — a manibus ad oculos: Mil. IV. 6. 56. dum te optuetur, interim linguam *oculi praeciderunt* i. e. tam pulchra est mulier,

---

[1]) cf. Pherecr. 2 294. (17) *τῶν θεατῶν δίψ᾽. ἦν.* etiam ab auribus ad guttur translatum censeri potest.

[2]) cf. Hor. ep. I. 2. 67. nunc *adbibe* puro pectore *verba* puer; figura ab infante, qui mamma nutritur, petita est. cf. nostrum: jedes Wort aufsaugen, de attente audientibus. et Faust Schülerscene:

So wird's euch an der Weisheit Brüsten
Mit jedem Tage mehr gelüsten.

[3]) cf. Hor. sat. II. 8. 38. *exsurdant vina palatum.* nostrum: abstumpfen a cultro petitum est. deinde Aristophanis 2. 1008 (8) *χόρταζε τῶν μονοδιῶν·* nos: weide dich. ibidem 2. 1009 (9). *φάγοιμ᾽ ἂν ῥήματα;* et fab. inc. 2. 1193. (75) *ἐπὶ τῷ ταρίχει τὸν γέλωτα κατέδομαι,* ubi haud ita liquet sententia; dicere vult fortasse poëta: cum carne risum devorabo i. e. ridere desinam.

[4]) cf. eigen Lob stinkt.

[5]) contrarium cf. Alexidis. *Ταραντῖνοι* 3. 485 (4, 3) *ἂν οἴνου μόνον ὀσμὴν ἴδωσι;* ea est significatio subtilissimi sensus.

[6]) cf. Eubuli *Ἀντιόπη* 3. 208 (2). *κάπτοντες αὔρας;* haec est potius translatio a naso ad guttur facta, ergo contraria quodammodo ei, quam supra memoravi cf. nostrum: Luft kneipen.

ut ea conspecta obstupefactus loqui non possis[1]). ab animo ad linguam Aul. 235. *moerorem* mixtum *bibere*[2]). ab animo ad ventrem. Capt. IV. 2. 25. mira edepol sunt, ni in *ventrem* sumpsit *confidentiam* sc. cenam; de parasito agitur. nos quoque cum translatione eadem dicimus: Er hat eine grosse Frechheit vel eine mächtige Stimme am Leibe vel sich an den Leib geschafft. Er hat den Teufel im Leibe. Ab edendo ad bibendum. Pseud. 781. *fructus potare.* Capt. I. 1. 35. *saturitate ebrius*[3]). — Alia ejusdem generis translatio est: Aul. 260. *inferiorem gutturem* i. e. natium foramen[4]). cf. Capt. III. 4. 72. *os denasabit.*

Hic sequantur metaphorae ductae

III. a morbis,

quum hi in nulla corporis humani contemplatione omitti possint. — Cist. II. 3. 37. *obsipat aquolam* sc. nuntius

---

[1]) cf. Apollophanis *Ἰφιγέρων* 3. 880 (1) *κύαθον λάβοιμι τοῖς ὑπωπίοις* cf. nostrum: mit den Augen verschlingen, quae est translatio a gutture ad oculos facta.

[2]) cf. Eubul. 3. 208 *ἐλπίδας σιτούμενοι* et Theopompi fab. inc. 2. 819 (13) *ἥδιστον ποτὸν ἐλευθερίας γεύσαντες ὄξος ἐνέχεαν.*

[3]) cf. Eubuli *Ἀνασωζόμενοι* 3. 207 (v. 4) *καταπιεῖν τεμαχίτας,* deinde ejusdem *Αὐγῇ* sub finem 3. 212. *παρεγκέκαπται ἀρνί' ἐννέ' ἢ δέκα.* cf. Alexidis *Ελληνίς* 3. 413 (v. 4) *καταπεπώκασ' εὐθέως* sc. pisces. praeterea Philippid. *Ἀνανέωσις* 4. 486. (1, 5) *δύ'* (sc. *νεφροὺς*) *ἁρπάσασα κατέπιεν* et Euphro 4. 487 (v. 29) *τὴν καρδίαν εἶδόν σε καταπίνοντ' ἐγώ.* bibere pro edendo significat rabide edere atque id vehementius, quam quod verbo devorandi exprimitur.

[4]) Postremo loco harum translationum ex Graeco comico unam afferre liceat, quae a supra memorata haud procul abest. cf. Diphil. 4. 393 (2) *ψωλὸν γενέσθαι δεῖ σε μέχρι λάρυγγος.* translatio a parte ad totum facta est. *ψωλός* cf. *ψιλός* usurpatur de nudata penis glande. cf. Holtei schles. Ged. 5. sust (sonst) wär' a (er) barbs (baarfuss) gewesen bis zum Halse.

vel oratio i. e. animum metu aegrotum sive confectum oratio recreat. Idem Epid. IV. 1. 31. *guttula pectus ardens* mi *adspersisti.* et Truc. II. 4. 15. ah, *aspersisti aquam.* cf. Bacch. II. 3. 13. cf. Trin. IV. 3. 85. visne *aquam* tibi *petam?* — Res (sc. familiaris) quom animam agebat, tum esse offusam oportuit. Pers. I. 2. 25. *visam* hesternas *reliquias quierint* recte necne, num is fuerit *febris;* reliquiae quasi aegroti homines sunt quibus parasitus tanquam medicus venit; „reliquiis febris est" significat: reliquiae corruptae sunt. — Etiam alii comici, imprimisque Horatius, multas et insignes imagines a morbis arcessiverunt [1]).

---

[1]) Ter. Phorm. IV. 4. 9. quid minus utibile fuit quam hoc *ulcus* tangere aut nominare uxorem. nos quoque hominem detestabilem appellamus: Pestbeule. cf. Ter. Adelph. II. 35. *pestis.* Hor. ep. I. 1. 28. Non possis oculo quantum contendere Lynceus — non tamen idcirco contemnas *lippus inungi* Sententia est: Si non magna exsequi potes, at damnum ne capias cavere potes; eandem continent duo sequentes versus. Ceterum quod poëta in sermonibus saepe lippitudinis morbum memorat, inde fieri videtur, quod ipse lippus fuit. cf. sat. I. 5. 30. — ep. I. 2. 9. *belli praecidere causam;* causa ut membrum laborans tractatur, quo remoto totum corpus, res publica, sanari possit. ibidem I. 3. 26. quodsi *frigida curarum fomenta* relinquere posses. curae rerum externarum quaedam fomenta frigida (kalte Umschläge in malam partem) studiorum ingenii existimantur. cf. Philem, fab. inc. 4. 42 (25 a. b. v. 4) *λόγος εὔκαιρος εἰς τὰ σπλάγχνα κολληθείς.* oratio in tempore adhibita tanquam est fomentum (in bonam partem). — Cratin. 2. 17. (3) **οὐ μέντοι παρὰ κωφὸν ὁ τυφλὸς ἔοικε λαλῆσαι** i. e. duos adversarios, quorum neuter vitiis vacat, inter se conviciari non est opus.

Cap. 2.

Jam transire liceat ad metaphoras a

B. vita domestica petitas.

Atque initio quidem animum advertamus ad vestimenta, quae domus instar, hominem artissime includunt [1]).

a. a vestimentis.

Poen. I. 1. 70. inest amoris *macula* huic homini in *pectore,* sine damno magno quae *elui* neutiquam potest; pectus vestimenti instar est, peccatum aliquod maculae. nos quoque dicimus: in den Ruf sive den Namen ist ein Schandfleck gekommen. — Capt. IV. 2. 61. jam ego ex *corpore exigam* omnes *maculas moerorum* tibi. contra nos: die Wolken des Kummers. medium comparationis est obscurum vel quod obscurum efficit. Bacch. IV. 1. 19. illius sc. pueri sum *integumentum corporis;* allusio est obscena. nos simili sensu adhibemus substantivum Unterdecke. cf. infra in supellectile. — Persa I. 3. 16. nihilist *macrum* illut *epicrocum pellucidum,* quasi *sisuram* esse *jus* decet *collyricum;* jus vestimento confertur; medium est, quod interest, tenue et crassum vel densum; epicrocum texturam tenuem, sisura crassum stratum significat. ibidem II. 5. 6. *amicibor gloriose* [2]) i. e. magnifice me geram;

---

[1]) contra domus tanquam vestimentum latissime patens percipi potest, sic cochleae vestimentum domum appellamus cf. nostrum: Schneckenhaus; deinde habitus, Francogallicum l'habit,- habitare ab eadem radice, verbo habendi, sunt oriunda.

[2]) cf. Antiphan. fab. inc. 3. 151 (56) *μὴ χρώμασιν τὸ σῶμα λαμπρύνειν θέλε, ἔργοις δὲ καθαροῖς τὴν καρδίαν.* cf. 4. 693. (360) *πᾶς ὁ καθ' ἑαυτὸν τεχνολογῶν θαυμάζεται, διακρινόμενος δὲ πρὸς ἑτέρους ἐλέγχεται ὑποβολιμαίαν σύνεσιν ἠμφιεσμένος* cf. nostrum: sich mit fremden Federn schmücken.

quoniam ad id imprimis splendido amictu opus est. ibidem III. 3. 15. *suduculum flagri;* convicium est servile; servus hoc convicio increpatur, quia in ejus tergo flagrum teritur et quodammodo abstergetur. — Most. IV. 2. 74. *libertas paenula'st tergo* tuo. i. e. servus missus verberibus vacat; libertas eum tuetur sicut pallium. Capt. III. 3. 5. nec *sub dolis mendaciis* mihi usquam *mantellumst* meis i. e. mendacia occultari jam non possunt. ibidem IV. 1. 12. *conjiciam in collum pallium* [1]. sc. ne promissum in currendo me tardet. cf. nostrum: sich die Füsse in die Hand vel auf den Rücken nehmen und rennen. Trin. V. 2. 30. *tunica proprior pallio'st* [2]*;* in proverbio est, sicut nostrum: Das Hemd ist mir näher als der Rock. Sententia hujus loci est: socer futurus mihi magis est venerandus salutatione quam familiaris.

b. a domo. α. a tota. β. a partibus.

α. Curc. 510. aliquam reperitis *rimam* [3] sc. per quam subterfugere possitis, ne leges observetis; leges aedium sunt instar et casus in iis non provisus rimae cf. nostrum: ein Hinterthürchen, Seitenpförtchen offen lassen, finden. — Epid. 86. tantae in te *impendent*

---

[1]) cf. Plato fab. inc. 2. 660 (3) *ὡς ἔστι μοι τὸ πρᾶγμα τοῦτο περὶ πόδα* Photius et Suidas s. v. *περὶ πόδα· οἷον ἁρμόττον σφόδρα, ὡς τὰ ὑποδήματα ποσίν.* fortasse contrarium significat et idem quod *ἐμποδών*; utrum rectius sit, ex verbis nexu carentibus non liquet.

[2]) cf. Cratetis *Ἥρωες* 2. 236 (5) *ὁ κάνης δὲ τῆς κοίτης ὑπερέχειν μοι δοκεῖ.* Phot. lex. p. 324. 17. *ἐπὶ τῶν τὰ μὴ ἀναγκαῖα μείζω καὶ πλείω τῶν ἀναγκαίων κεκτημένων.*

[3]) cf. Enn. I. 2. 25. plenus *rimarum* sum, hac atque illac *perpluo* cf. Hor. sat. II. 6. 45. et quae *rimosa* bene *deponuntur* in *aure* cf. Ter. Heaut. III. 1. 72. quantam ei *fenestram* ad *nequitiam patefeceris;* fenestra pro occasione. utraque aliquid patefit.

ruinae, nisi *suffulcis*[1]) firmiter sc. aedes i. e. tanta pericula tibi imminent, nisi quid invenies, quo te expedias. Poen. I. 3. 3. nam impunissime tibi quidem hercle vendere ***hasce aedes*** licet i. e. me, servum. Quid jam? interrogat dominus i. e. quae est causa, cur te aedes nuncupes? Majorem partem in ore habitas meo, respondit ille. Servus enim quodammodo pro aedibus est domino, quippe qui pugnis suis in illius ore vel tergo saepissime sic versetur, ut in eo habitare videatur. Habitandi verbum ita nonnunquam transfertur, ut, quibus in rebus quis frequens est, in iis habitare dicatur, quoniam habitare cum habendo, ut supra dictum est, cohaeret. Nos eodem sensu loquimur: Er wohnt darin, si quem certa re permultum uti exprimere volumus. — Mil. II. 2. 54 et 55. Ecce autem *aedificat,* non placet mihi illaec *aedificatio;* consilium saepissime cum aedibus comparari reperimus [2]). cf. ibidem III. 1. 38. inest in hoc *amussitata* sua sibi ingenua indoles, deinde cf. Men. prol. 50. *examussim* — idem atque accurate. III. 3. 27. hic noster *architectu'st.* IV. 4. 18. domi esse ad eam rem vides *silvai* satis. homines, qui consilio exsequendo inserviant, appellantur silva i. e. materia. Translationes a domo petitae eam ob causam in hac comoedia frequentiores sunt, quod de excogitando et exsequendo dolo agitur,

---

[1]) cf. Hor. sat. II. 3. 154. ingens *accedit stomacho fultura ruenti;* vacuus venter caducae domus est instar cf. nostrum: Mir fällt vor Hunger das Herz zur Erde; aedificandi notio ad animum translata est in nostro erbauen; idem quod solari cf. *οἰκοδομεῖν* in testamento novo et Mollière Tartuffe act I sc. 1 v. 9. je ne suis pas édifiée etc. cf. aufgeräumt.

[2]) cf. Macho *Ἐπιστολή* 4. 496. (2) *τοῦτο δ' ἐστὶ τῆς τέχνης θεμέλιος ἡμῖν. τέχνη,* eodem modo quo consilium, ut aedes tractatur, *θεμέλιος* est, qui eam sustinet, i. e. fundamentum.

quo nec subtilior nec magnificentior in ulla comoedia Plautina reperitur. cf. Trin. I. 2. 95. qui *exaedificant* suam inchoatam *ignaviam.* Pseud. I. 5. 52. face sis vocivas, Pseudule, *aedis aurium* i. e. aperi aures, ut audias; similitudo inest in eo, quod aedes et aures vestibula et penetralia quaedam habent [1]). — Most. I. 2. 1—77. toto cantico comparatio aedium et hominis peragitur: homo aedes, parentes architectones, morum corruptela ruina, vitia imber et tempestates sunt. Trin. I. 2. 43. ego meo sum *promus pectori;* pectus quaedam domus est, in qua conscientia (ego) promi munere fungitur. — Pro tota domo poëta partem ponit, saepissime tectum vel tecta cf. Trin. II. 2. 35. *sarta tecta* tua *praecepta* nosque habui mea modestia; praecepta aedes habentur modestia sive temperantia correctae. Horatius verba tanquam aedes tractat [2]). — Similia quaedam domus sunt templum, hospitium, stabulum: Mil. II. 5. 3. quae me in locis Neptuni *templisque turbulentis* servavit; templa turbulenta intelligenda sunt undae. Trin. II. 4. 152. *hospitium calamitatis;* sic ager appellatur. ibidem III. 2. 47. insanumst malum te in *hospitium devorti ad Cupidinem;* sequentibus versibus adolescens amans cum aedibus ardentibus comparatur. 49—52. — Pers. III. 3. 14. *stabulum servitutium;* convicium servile; nos: Du Herberge der Knechtschaft

---

[1]) cf. Shaksp. supra memoratum. Richard III. act. to shut the windows of the eyes.

[2]) cf. Hor. ep. II. 2. 113. quamvis *invita* (sc. verba loco movenda) *recedant-* et *versentur* adhuc intra *penetralia Vestae;* verborum copiam poëta tanquam domum cogitat, cujus in penetralibus verba obsoleta veluti liberi domi patris vel convivae in hospitio lubentes morantur vel potius, si rem accuratius interpretari volumus, copia verborum intelligenda est senatus quidam, in quo verba obsoleta sedes suas obtinere neque, ut pravi senatores, moveri volunt. cf. ep. II. 2. 109

i. e. servitus in te habitat, te perpetuo tenet. — Omnibus fere conviciis, praecipue servilibus, homo ad rem deprimitur eamque humillimam atque vilissimam et quodammodo humana indole ingenio privatus ad bestias vel inanima in cogitatione conviciantis dejicitur [1]). Ipsam eam ob causam, quod ingenium pretiosissimum hominis bonum est, summum probrum significatur convicio, quo ei illud demi significatur [2]). cf. Truc. II. 7. 38. stabulum flagitii. — De vicinitate, quae et ipsa ad domum pertinet, cf. infra [3]).

β. Curc. 387. reliqui *in ventre cellae* uni locum. cf. nostrum: Herzenskammern et: ich habe in meinem Magen keinen Winkel leer. — Mil. IV. 4. 4. quia enim non sum dignus prae te, ut *figam palum* in parietem, i. e. ut te auctore minumum gubernem cf. supra de aedificatione. — ibidem II. 2. 47. *pectus* digitis *pultat* sc. servus meditans, quasi pectus janua sit. — Mil. III. 1. 10. tuopte tibi *consilio occludunt linguam;* lingua vel potius labra forium, consilium pessuli locum tenet. cf. Trin. I. 2. 151. *occlusisti* linguam. Persa. II. 2. 21. commorandumst jam mihi aput *hanc obicem* i. e. pessulum. ministra obex vocatur, quod ea invita penetraturi ad dominam pervenire nequeunt. — ibidem II. 4. 21. di deaeque me omnes perdant, nisi te hodie, si prehendero, *defigam* in terris *colaphis;* de colaphis tan-

---

[1]) cf. convicia apud Shaksp., praecipue in comoediis, ut the taming of the shrew act. IV. sc. 3. — Henry IV. Sir Falstaff.

[2]) cf. Hor. sat. II. 3. 33. si quid *Stertinius* veri *crepat;* quasi sit janua.

[3]) Antiphanis fab. inc. 3. 154 (64)

Λύπη μανίας ὁμότοιχος εἶναί μοι δοκεῖ

nos dicimus: Wandnachbar. haec imago etiam apud nostros poëtas reperitur; ad sententiam cf. Alexidis fab. inc. 3. 522 (45) *Λύπη μανίας κοινωνίαν ἔχει τινά.*

quam de clavis praedicatur [1]. — Poen. V. 3. 54. *graecae sunt hae columnae;* sustolli solent sc. virgines graciles et altae; fortasse de Caryatidibus poëta cogitavit.

c. a culina.

Mil. II. 2. 53. quidquid est, *incoctum* non expromet, bene *coctum* dabit cf. Pseud. II. 4. 70. nunc *liquet,* nunc *defaecatum* est sc. consilium, quasi sit vinum, quod nisi defaecatum bonum non est. i. e. bene excogitatum. cf. Pers. I. 1. 52. dum *excoxero* lenoni malam rem magnam i. e. paravero perniciem [2]. — Pseud. I. 3. 148. *exossabo* ego *illum* simulter itidem ut muraenam coquos cf. Amph. I. 1. 162 et 163 et 186. proprie dicitur de piscibus cf. Ter. Adr. III. 3. 24 et Aul. II. 9. 3. De aliis metaphoris a culina petitis vide in annotatione [3].

d. ab epulis.

Most. III. 2. 104. simul *flare sorbereque* haut factu facile'st sc. quod in altero spiritus ducitur, in altero mittitur, quae duae actiones natura concurrere nequeunt. Sentenia est: Duas res inter se alienas simul facere nemo potest. — Epid. I. 2. 22. sine meo sumptu *paratae* jam sunt *scapulis symbolae;* conviviis

---

[1] cf. Hegesipp 4. 480 (25) *ἐστήξετ' ἀχανὴς προςπεπατταλευμένος.* cf. nostrum: wie angenagelt.

[2] similiter Ter. Phorm. II. 2. 4. tute hoc *intristi,* tibi omne est *exedendum;* nos: Du hast Dir die Suppe eingebrockt sive eingerührt, löffle sie nun aus.

[3] Hor. sat. II. 5. 55. *recoctus* scriba ex quinqueviro cf. nostrum: aufgewärmt. cf. Teleclides fab. inc. 2. 371. (2) *φρύγει τι δρᾶμα καινόν,* de Euripide, cui Mnesilochus tragoedias fecisse fertur, magno cum contemptu dictum. deinde Hor. sat. I. 10. 3. *sale* multo urbem *defricuit* sc. Lucilius; urbem defricuit, quasi piscis vel caro fuerit i. e. multis conviciis vel opprobriis urbanos pervellit cf. ep. II. 2. 60.

instruendis adolescentes suam quisque partem conferebant, quae symbola vocabatur; hoc loco symbolae intelligendae sunt verbera. — Rud. II. 3. 32. periit, *potando,* opinor, *Neptunus magnis poculis* hac nocte eum *invitavit*. i. e. in mare leno demersus est. ibidem II. 4. 11. non ego sum *pollucta pago* [1]), inquit virgo; i. e. non cibus sum rusticis proponendus, non sino rusticum me frui. ibidem III. 5. 30. Si hercle illic illas hodie tetigerit invitas, ni istunc istis *invitassitis* usque adeo donec, qua domum abeat, nesciat. Sicut in convivio homines adeo cibo et potu nonnunquam implentur, ut nesciant, qua abeant domum, etiam hic Daemones senex lenonem impleri vult verberibus [2]) (cf. Aul. III. 3) donec nesciat, ubi sit locorum. In Amph. I. 1. 140. eandem figuram videmus: *accipere hospitio pugnae,* item *pugnos edere.* Tertium comparationis est damnum; fit enim hoc et pugnis et saturitate nimia. — Truc. II. 1. 4. Nam fundi et aedes obligatae sunt ob amoris *prandium* i. e. primum coetum, quoniam prandium diei prima est cena. ibidem II. 4. 12. *cedo soleas* mihi, sc. ut celeriter abeam, quoniam amata non mecum erit. In epulis enim soleae ab accubantibus deponebantur, a surgentibus recipiebantur. — Cas. V. 2. 50. ut senex hoc eodem *poculo,* quod ego *bibi, biberet* i. e. ut ei idem malum accideret, quod mihi accidit [3]).

---

[1]) contrario Phorm. I. 2. 29. *forum* pro *prudentia* et *elegantia.*

[2]) cf. Theocr. idyllia. *ἔση πληγαῖς μεθύων.* Transfert ab opibus ad epulas Hor. ep. I. 17. 12. accedes *siccus* ad *unctum* i. e. esuriens et sitiens ad saturum et ebrium. Sententia est: pauper ad divitem.

[3]) cf. Magnes (I) 2. 9. *κακῶν παροψίδες* additamenta malorum cf. Metagenis *Φιλοθύτης* 2. 756 (1) *καιναῖσι παροψίσι καὶ πολλαῖς εὐωχήσω τὸ θέατρον.*

e. a ludis in epulis usitatis.

Duobus imprimis ludis veteres in epulis vel post eas delectati sunt, cottabo qui vocatur et ludo aleario; deinde etiam pila vulgo accepta fuit cf. Hor. sat. I. 5. 48 et 49. — Atque cottabi quidem erat proprium, ut adolescentes ex poculis vini guttas in pelvim demitterent, quarum sono, quantus sui amor ess etamatarum vel num omnino ab iis amarentur, cognosceretur. Inservit autem ludi mentio apud Plautum poenis servilibus ridicule describendis, ut fustis poculi, verbera guttarum, tergum pelvis sit instar. Ludus vero *alearius,* item pila adhibetur ad fortunae vicissitudinem illustrandam. — Trin. IV. 3. 4. Cave sis tibi, ne *bubuli* in te *cottabi* crebri crepent. — Rud. II. 3. 30. profecto nimis *lepide jecisti bolum* sc. sicut aleator faustus i. e. rem bene gessisti. Truc. I. 1. 10. is *primus bolu'st* i. e. ea prima est condicio. ibidem IV. 2. 12. sed intus *bolos* quos *dat;* bolos dare significat: in ludo aleario jactus facere, quibus alter defraudetur, cf. verba dare; bolus igitur notio anceps est; significat enim et fortunam et damnum. Similiter pila in comparationibus versatur: Truc. IV. 1. 8. *mea pila est.* dictum de eo intelligendum est, qui pilam jactam manibus excepit i. e. occasionem aliquam adeptus est. Trin. II. 4. 136. ad *incita'st redactus* est. i. e. plane egenus evasit cf. Poen. IV. 2. 85. imago a ludo tracta est, qui nostro „Schach“ aliquantisper similis fuisse videtur.

f. a supellectile, praecipue a vasis.

Aul. 425. *exemi e manu manubrium;* i. e. occasionem; manubrium hic egregie quadrat, quod metaphora ex rei condicione facilis fuit petitu; agitur enim

de aula. Pers. II. 5. 7. set quid hic *ansatus* ambulat? in eum, qui magnifice incedit et brachiis innixus lateribus speciem amphorae efficit. — Bacch. II. 2. 25. scis tu, ut *confringi vas* cito *Samium* solet; mulier Samo nata cum vase Samio comparatur propter inconstantiam [1]. Stich. II. 1. 78. parasitum inanem, *quo recondas reliquias;* parasitus pro vase habetur, velut matula vel labro eluacro. cf. Most. I. 1. 40. *hara suis.* convicium servile, item carnuficium cribrum. cf. Persa. 533. *matula.* Poen. II. 1. 10. nam iste quidem *gradus succretu'st cribro;* gradus tam parvi sunt, quam pollinis particulae. — Ibidem V. 3. 26. Tace atque parce *mulicbri supellectili* — quae ea est supellex? — clarus *clamor* sine modo; translatio audacissima est, et aliud quiddam conjicitur cf. Shaksp. Oth. act. IV. sc. 2. (Desdem.) Most. IV. 2. 13. suam quidem pol *culcitellam* oportet sc. novisse; allusio est obscena; homo cum culcitello comparatur, comparationis medium est: utrique incumbitur cf. Bacch. IV. 1. 9. Men. V. 9. 3. quid vides? *speculum tuum,* significatio est summae similitudinis. — *Pugnus* saepe *pectinis* [2]) instar esse fingitur; manui enim cum digitis pecten similis est et sunt, qui pectine carentes capillum digitis pectant. Men. V. 7. 28. *pecte pugnis.* Poen. I. 1. 128. Sed vide sis, ne tu oratorem hunc *pugnis pectas.* cf. Capt. 893. *fusti pectito.* — Asin. 305. nec *dependes* nec *propendes*; figura a trutina est petita [3]). — Pseud. III.

---

[1]) cf. Hor. sat. I. 3. 56. *sincerum vas incrustare* i. e. sincerum cor.

[2]) cf. Similiter penis cum scopis confertur: Eupol. *πόλεις* 2. 510. (5) *τὸν κύσθον ἐκκορίζειν,* ubi sulcus domus est instar.

[3]) cf. Hor. sat. I. 3. 70. cum mea *compenset vitiis bona.*

2. 100. *nimium tinnis;* jactans homo tintinniabuli comparatione illuditur [1]).

g. a vita familiari.

Ac primum, quoniam vita familiaris a conjugio principium capit, disseramus de metaphoris sumptis

α. a conjugio: Rud. IV. 7. 16. mi istaec videtur praeda praedatum irier, ut cum majore *dote* abeat, quam advenerit; de esca agitur, quae transennae imposita majoris pretii praedam capit, quam ipsa est; dos pro praeda ponitur, quasi esca sit uxor, quae conjugio cum transenna inito se locupletet. Most. I, 3. 69. *morem gerundum* censeo tibi et *capiundas crines;* crines capere significat crinium habitum capere, qui matronam decet et meretricis capitis speciei est contrarius; cf. Mil. III. 1. 197. *capite compto crinis vittaque habeat adsimuletque* se; vide Lorenzii excurs. crit. ad Mostell. l. l. — Capt. IV. 2. 108. *Boius* est; *boiam terit; liberorum quaerundorum* causa ei credi *uxor data* est; uxoris instar catena est, quacum quodam conjugio tristi conjunctus est captivus; nos quoque dicimus: die Ehe kettet sie an einander [2]), der Ehe, der Liebe Fesseln, der Freundschaft Bande. metaphora loci pendet ex ancipite significatione boiae, quae et Boia sc. mulier et boia idem significans atque catena intelligi potest [3]). —

---

[1]) Tiberius Apionem poëtam cymbalum mundi vocabat; similiter Antonius Polemo σάλπιγξ ὀλυμπικὴ propter eloquentiam nuncupabatur.

[2]) cf. Ter. Andr. III. 5. 23. in *nuptias conjeci* erilem filium; tanquam in vincula.

[3]) Horatius per jocum virum adeo virum in matrimonium ducentem facit. ep. I. 20. 28. *Collegam Lepidum,* quo *duxit Lollius* annum; verisimile est poëtam eo dicere voluisse Lepidum et Lollium in simili condicione inter se versatos esse atque

Bacch. II. 3. 32. *adulterinum*[1], non *verum* esse symbolum, adulterinum est contrarium ingenuo, solido, est spurium. cf. 34. *adulterare.* Trin. II. 1. 32. *apage sis amor, tuas tibi res habeto;* sic dicit coram judicibus vir, qui se cum uxore divortium facturum esse profitetur. cf. nostrum: Der Liebe den Scheidebrief geben vel Valet sagen. et Cist. II. 2. 36. hic apud nos jam *tesseram confregisti* i. e. amicitiam sustulisti[2]. Veteribus enim, imprimis Graecis, mos fuit, ut in hospitio faciendo tesseras darent atque acciperent, quibus et ipsi et posteri inter se recognoscerent.

β. a literis. Familiae et conjugii auctores sunt parentes, fructus liberi, quorum educatio vitae familiaris pars est gravissima. Eius autem duces existunt scholae, literae, quibus apud Romanos cum Plauti temporibus tum Graecia in provinciae formam redacta a doctis servis domi pueri et adolescentes erudiebantur. Itaque metaphorae ex hac vitae parte haustae hoc loco enumerandae iisque a vita servili sumptae adiungendae erunt. — Aul. III. 1. 5. habuit *me senex gymnasium* sc. ad manum suam in verberando exercendam. cf. Asin. II. 2. 31. *gymnasium flagri;* servile convicium. Asin. 226 et 227. Haecine tu esse oblitum, qui tam

---

uxorem et maritum ea ratione, ut Lollius maritus i. e. superior fuerit. Simile quiddam hoc est atque illud: Julio et Caesare coss. omisso Bibulo consule.

[1] cf. Hor. ep. I. 7. 23. nec tamen ignorat, quid distent *aera lupinis;* sunt autem lupina signa tantum, nummi nullius pretii, qui in ludo pro argento dabantur et accipiebantur. Sententia est: Quod pretiosum est, a vili discernere scit cf. nostrum: Er weiss den Weizen von der Spreu zu scheiden.

[2] cf. Menandr. 4. 264 (127) *πρὸς τὴν τύχην ζυγομαχεῖν οὐ ῥάδιον· ζυγομαχεῖν* proprie significat rixari in conjugio cf. Schilleri: Mit des Geschickes Mächten ist kein ew'ger Bund zu flechten.

diu in *ludo fuisti?* Bacch. I. 1. 65. adulescens homo penetrare hujusmodi in *palaestram,* ubi damnis desudascitur? comparatio lustri et palaestrae hoc loco a capite usque ad finem peragitur. cf. Bacch. III. 1. 1. Pandite atque aperite propere januam hanc Orci; dicit lustrum. hic severior est comparatio propter animi severitatem comparantis; paedagogus enim est; nos dicimus: Hölle cf. Spielhölle; tamen dubites, num hoc vocabulum similitudine vocis Spielhalle sit ortum an ironice usurpatum. cf. III. 3. 20—28. et infra [1]). Merc. II. 2. 34. hodie eire occepi in *ludum literarium,* amorem amare discere coepi. Omnibus fere locis, ubi apud Plautum verba leguntur: ludus, schola, palaestra, discipulus, docere, in pravum ea verti videmus; ludus, schola, gymnasium, palaestra vel lustrum vel mentiendi exercitationem significant, docti et discipuli in vitiis exercitatos vel exercitandos. — Aul. I. 1. 20. Continuo hercle ego te dedam *discipulam cruci;* crux magistra, serva discipula, supplicium res, quae discatur, intelligenda sunt. Asin. 227. tua ista culpa, quae *discipulum semidoctum* amoves. Truc. IV. 2. 26. *literas didicisti,* quando scis, sine alios discere; id significat: tu voluptate fructus es; quando sat est tibi, sine alios frui. — Aul. I. 1. 30. ex me ut unam faciam *literam longam* sc. I literam [2]); homo enim suspensus extenditur et directa corporis statura pendet, ut literae I aliquantum similis appareat. — Rud. V. 2. 7. Cubitum *longis literis* signabo

---

[1]) cf. Ter. Phorm. III. 1. 20. eccum ab sua *palaestra* exit foras. et Hecyr. II. 1. 6. in eodemque omnes mihi videntur *ludo doctae* ad malitiam.

[2]) Shaksp. Lear act. II sc. 2. Thou whoreson zed! thou unneccessary letter!

i. e. longis callis te afficiam Plaut. ap. Servium ad Aen. I. 478. *inscribam virgis* ulmeis corpus tuum; tergum pro tabula, virgae pro stilo, calla pro literis percipienda sunt cf. p. 24 ann. 3. cf. Pseud. I. 5. 151. *stilis* me totum usque *ulmeis conscribito.* — Poen. IV. 2. 14. ibi tu videas *literatas fictiles epistolas* i. e. amphoras literis inscriptas.

γ. a vita servili vel poenis; Curc. 240. *lien dierectus* est, tanquam sit servus ad crucem tollendus et vapulaturus aut supplicio afficiendus. Omnino locutio dierectus saepissime apud Plautum legitur imprimis in exsecrationibus cf. Cas. I. 1. 15. abi dierectus in provinciam tuam. Merc. IV. 4. 16. Poen. I. 1. 32. Capt. III. 4. 102. Rud. IV. 4. 126. Most. I. 1. 8. Trin. II. 4. 56. Poen. I. 2. 134. de aliis poenis servilibus usitatis vide infra [1]).

h. a sacris.

Locus, ubi sacra versantur, est vulgo templum, quod et ipsum ex domorum genere est. Cujus notionum affinitatis, ut ita dicam, veteres sibi conscios fuisse vel potius templum domo exititisse inde elucet, quod aedes et domum et templum significat [2]).

---

[1]) Hor. sat. II. 7. 66. ibis *sub furcam* prudens i. e. de industria ignominiae te projicis. cf. furcifer idem est ac scelestus, ignominia pollutus. Simile quiddam est in Cratini *Νέμεσοι* 2. 84. (8) *ἐν τῷ κύφωνι τὸν᾽ αὐχέν᾽ ἔχων.* tenens collum in caudice; verisimile est sententiam per figuram esse intelligendam et idem valere, quod: in augusto esse et nostrum: in der Klemme, zwischen Angel und Thür sitzen. cf. Shaksp. Lear. act. II. sc. 2. sub finem, ubi poenam vere adhiberi poëta facit.

[2]) Nostrum quoque „Dom" a latinorum domo ortum est; etymologia, quae verbum ex literis initialibus trium vocabulorum **D**eus **O**ptimus **M**aximus compositum esse statuit rejicienda est, ut nimis artificiosa.

a. a sacrificiis: Epid. I. 2. 36. mene *piacularem* oportet fieri ob stultitiam tuam, ut meum tergum stultitiae tuae subdas *succidaneum?* cf. Gell IV. 6. hostia succidanea ea est, quae in locum alius hostiae, quae infausto omine videtur esse, succedit, ut mactetur. Sententia est: mene damnum capere oportet pro te? Capt. III. 4. 84. nunc ego inter *sacrum saxumque sum;* imola enim mactanda ponebatur inter altare et saxum quoddam; sensus est: in summo periculo esse cf. nostrum: zwischen Angel und Thür vel das Messer sitzt an der Kehle [1]). — Rud. I. 2. 62. *propter viam* illi sunt *vocati* ad *prandium;* „propter viam" est proprium sacrificii genus, in quo, quae non comeduntur, comburi solent; sensus igitur est: ad ea, quae non comeduntur, tanquam ad prandium advocati sunt i. e. omnia sua perdiderunt, ut quovis, vel vilissimo, eos contentos esse necesse sit. ibidem III. 4. 48. *ni obferumentas* habebis pluris in tergo tuo, quam ulla navis longa clavos; obferumenta a verbo obferendi derivanda significat id, quod offertur, sacrificium; hoc loco ironice dictum est; neque enim est quidquam boni, quod vulgo esse solet, sed plagae, cui sacrificio deus designatur servus. Capt. IV. 1. 8. *sine sacris hereditatem aptus* sum i. e. sine opera aut depensis magnum emolumentum adeptus sum; heredi enim in hereditate adeunda sacrificienda erant, quae aliqua parte hereditatis ipsius constabant. cf. Fest. p. 290. 33. Trin. II. 4. 83. cena hac annona est *sine sacris hereditas.* supra quoque de cena agitur. — Truc. II. 1. 3. Huic homini amanti mea hera apud nos *naeniam* dixit de *bonis* (a sacris

---

[1]) cf. Hor. sat. I. 9. 74. *sub cultro liquit* sc. me, i. e. tanquam hostiam mactandam.

funebribus). Sententia est: hunc hominem hera bonis spoliavit. cf. Men. III. 2. 27. — Pseud. V. 1. 33. *nenia ludo* id fuit i. e. finis: duo loci eodem jure pro exemplis prosopopoeïae accipi possunt. Bacch. IV. 4. 15. Si frugi'st, *Herculem fecit* ex *patre, decumam partem* ei dedit, sibi *novem abstulit.* Herculi enim praedae decuma dedicabatur cf. Most. IV. 2. 67. Stich. I. 3. 80; III. 1. 62. Truc. V. 7. 11. cf. Hor. sat. II. 6. 12. cum Heindorfii nota. Men. II. 2. 17. jube te *piari* de mea *pecunia;* insani enim piari solebant porco incolumi mactato. Sententia est: insanis; pro eo dictum est, quod ex insaniendo sequitur vel potius ad id sanandum fieri opus est [1]).

β. a mythis. Ii, quos sacra spectant, dii vel heroes sunt, qua de causa nunc figurae adumbrentur translatae a mythis, qui, quae illorum sint propria, nos docent. Huc etiam metonymiae omnes pertinent, quarum ratio ea est, ut deus pro donis, quorum origo illi attribuitur, ponatur, ut Bacchus pro vino, Volcanus pro igni, Mars pro bello, Ceres pro pane, Venus pro amore, Juppiter [2]) pro coelo vel tempestate, Neptunus [3]) pro aqua. e. a. cf. Quinct. VIII. 6. 24. — Pseud. 335. *Juppiter lenonius,* joci causa Juppiter patronus lenonum appellatur. — Truc. II. 7. 65. si tu ad legionem *bellator clues,* at ego *Ares* in *culina,* i. e. fortissimus sum in culina; permultum edere possum. — Rud. III. 5. 41. heu,

---

[1]) cf. Hor. ep. I. 1. 36. sunt certa *piacula,* quae te ter pure lecto poterunt *recreare* libello. Philosophia a poëta commendatur tanquam piaculum ad affectuum insaniam piandam maxime idoneum; fortasse de libris Sibyllinis vel aliis mysteriis cogitavit.

[2]) cf. Schilleri: Der unbewölkte Zeus.

[3]) cf. Hor. receptus — terra *Neptunus* classes Aquilonibus arcet i. e. portus.

hercle nae istic fana mutantur cito, iam hoc *Herculis* est, *Veneris* fanum quod fuit, ita duo destituit signa hic cum clavis senex. Verba sunt lenonis, qui indigne fert senem duos servos cum clavis ad virgines ab ipso vexatas tutandas destituisse et illos cum statuis, quales in Herculis fanis conspiciebantur, comparat, Veneris partes in comparatione agunt virgines vel potius eas agere vult leno. — fragm. Cornicularia 7. mihi *Laverna* in *furtis celebrassit* manus i. e. saepe egregia furta commiserim. Laverna enim apud Romanos patrona furum est, sicut Mercurius patronus. cf. Schilleri Die Räuber, act. II.: es lebe Mercur. sic exclamant adolescentes consilio praedandi et latrocinandi capto. — Pseud. II. 3. 6. nam haec (epistola) *adlata cornu copia est,* ubi inest, quidquid volo. cogitat Pseudulus de Amaltheae cornu (nos: Pandorabüchse[1])). A bello Trojano: cf. Men. I. 3. 4. *meretrix Ilium* appellatur, quod ipsa quoque capienda est; hic ejus consuetudo tanquam proelium describitur cf. infra, ubi de bello agetur. Bacch. 4. 8. 21. senex fraudandus Ilium vocatur. — Mil. 743. odiornm Ilias; egregia conjectura Studemundi (Begrüssungsschrift zur Würzburger Philologenversammlung. „Zur Kritik des Plautus“. Würzburg 1868. p. 60). cf. *Ἰλιὰς κακῶν* apud Demosthenem aliosque multos. Cic. ep. a. Att. VIII. 11. 3. tanta malorum impendet Ilias. Omnibus his locis Ilias multitudinem significat, sed locutione „odiorum Ilias“ simul *μῆνιν* Homericam initio Iliadis spectari crediderim. Merc. V. 2. 104. *Calchas* iste quidem Zacynthiust[2]), dicere vult: vates est, providere

---

[1]) contrarium quiddam a Parcis ducitur: Phorm. III. 2. 6. nequid *suo capiti suat;* suere dicitur pro nendo.

[2]) cf. Ter. Andr. I. 2. 27. *Davos* sum, non *Oedipus* i. e.

sive praedicere scit. Simile quiddam sed ironice dictum est: Rud. IV. 3. 75. *Thales vale,* sentit: stulte, abi. — Merc. II. 4. 20. *Achillem* orabo, ut aurum mihi det, *Hector* qui expensus fuit i. e. divitem aliquem orabo etc. Epid. I. 1. 33. ille *prognatus Theti,* sic miles ironice vocatur. — Bacch. I. 1. 146. Pol metuo magis, ne *Phoenix* tuis factis fuam teque ad *patrem esse mortuom renuntiem.* — Stich. II. 1. 33. Contundam *facta Talthybii* contemnamque omnes nuntios; Talthybius enim et Eurybates nuntii et praecones erant in exercitu Graecorum. Ab Odyssea[1]): Pseud. IV. 6. 1. viso, quid meus *Ulixes* gesserit, jamne habeat signum ex arce Ballionia i. e. lustro; alluditur ad Ulixis nobile in Troja incendenda facinus. Bacch. II. 3. 43. deceptus sum, *Antoluco hospiti aurum credidi* sc. qui id fraude arripuit. Antolucus, matris Ulixis pater, callidissimus homo fuisse et nepoti nomen indidisse narratur. A Penthei mytho: Bacch. III. 1. 4. *Bacchides* non *Bacchides,* sed *Bacchae* sunt *acerrimae,* apage istas a me *sorores,* quae hominum *sorbent sanguinem;* in meretrices, quae adolescentibus medullam et pecuniam exsugunt; nos danistas similiter vocamus: Blutsauger sive Vampyre. — fragm. Vidularia 7. Ejusdem *Bacchae fecerunt* nostram *navim Pentheum* i. e. navem diffregerunt, sicut Bacchae Pentheum dilaniaverunt. E Danaidum labore hausta sunt haec: Pseud. I. 3. 155. in *pertussum* ingerimus dicta *dolium* i. e.

---

simplex homo, non vates, cf. Strats. 4. 545. *Σφίγγ' ἄῤῥεν', οὐ μάγειρον εἰς τὴν οἰκίαν εἴληφ'.*

[1]) ex Odyssea: Cratin. f. inc. 2. 215 (130) *γαστροχάρυβδις,* cujus venter profundi Charybdis gurgitis est instar. cf. 2. 294 (17) *ἐκχαρυβδίσαι* avidissime bibere; de navi Ulixis a Charybdi devorata hoc loco cogitatum est.

nequiquam huic rei operam damus cf. Ter. Andr. V. 1. 7. tu *verba infundis* hic sapientia[1]). Ab Ixione petitum est: Cist. II. 1. 4. *vorsor* in *amoris rota*[2]). Mytho, qui de Meleagro est, debetur: Men. V. 11. 45. ego te simitu novi cum *Parthaone*. dictum est ad aliquid ignoti et longinqui significandum, sicut est Parthaon Meleagri avus; similiter mentio fit Calchae. Ab Herculis vita sumptum est: Rud. I. 1. 4. non ventus fuit, verum *Alcumena Euripidi* cf. Amph. V. 1. 10 et 44. Euripides enim in tragoedia, nomine Alcumena, dum illa parit, Jovem terribilem tempestatem excitantem facit. Epid. II. 1. 9. *Hercules* ego fui i. e. validissimus, etiam apud nos Hercules nomen significatio validi hominis est.

Metonymiae sunt: Rud. III. 4. 56. *Volcanum* adducam, is *Venerist* advorsarius i. e. leno in animum inducit ignem afferre, quo circum aram facto, puellas, quo confugerint, inde depellat. Men. II. 2. 55. dum ego haec appono *Volcani* ad violentiam i. e. ad ignem[3]). Mil. II. 5. 3. in locis *Neptuni* i. e. in undis. Rud. II. 6. 2. credere se *Neptuno*[4]).

---

[1]) Ad Danaes fortunam alluditur: Ter. Eun. III. 5. 41 per *pluviam fucum factum mulieri;* rerum condicio hujus comparationis ansam praebet.

[2]) Similiter Sisyphi fatum asciscitur: Ter. Eun. III. 5. 55 satis diu jam hoc *saxum volvo*. Omnino Danaidum, Ixionis, Tantali poenarum mentio fit ad aliquid irriti significandum.

[3]) cf. Hor. I. 11. 10. *Neptunum* procul e terra spectare furentem; et quod supra memoratum est: Neptunus terra receptus; similis locutio est *Νηρέων τέκνων*.

[4]) cf. Hor. sat. I. 5. 73 nam vaga per veterem dilapso flamma culinam, *Volcano* summum properabat lambere tectum. Ejusdem generis sunt: Hor. ep. I. 7. 58 *lare certo* i. e. domo certa cf. Od. III. 29. 14. sat. II. 2. 3 *crassaque Minerva* i. e. mente. II. 2. 124 *ac venerata Ceres* i. e. panis cf. locutionem in prosa usitatissimam: aequo Marte.

γ. a theatro. Quoniam res, quae in theatro aguntur, magnam partem ex mythis haustae sunt, iam ad metaphoras illinc petitas accedamus, praesertim quum apud Romanos aeque atque apud Graecos spectacula ad sacra pertinuerint atque etiam theatrum sit adnumerandum aedificiis; versamur enim adhuc in metaphoris, quae cum vita domestica cohaerent. — Curc. 150. *ludii* barbari fite causa mea; fores alloquitur adolescens amans et rogat, ut subsiliant. — Mil. II. 1. 216. ut quom etiam hic aget actutum *partes defendas* tuas[1]) i. e. quod tuum est, facias; partes agere, quod proprie histrionis est, ex earum locutionum est numero, quae in quotidianae consuetudinis usum transierunt. — Pseud. I. 5. 132. *indice ludos* nunc jam quando lubet[2]) i. e. incipe, quod excogitasti cf. 138 lubidost *ludos* tuos *spectare* Pseudule. Trin. III. 2. 79. non enim possum, quin exclamem: *euge, euge* Lusiteles, *πάλιν* (nostrum „da capo") facile *palmam* habes; hic *victu'st; vicit* tua *comoedia,* hic agit magis ex *argumento* et *versus meliores* facit[3]); — totus locus allusionibus et metaphoris rerum scenicarum magna cum virtute factis abundat. ibidem 858. ipse sycophanta *ornamenta* a *chorago* haec sumpsit periculo. cf. Persa I. 3. 79. abs *chorago sumito* (sc. ornamenta), dare debet,

---

[1]) cf. Ter. Phorm. V. 7. 5 vicissim *partes tuas acturu'st,* Hor. sat. I. 1. 18 vos hinc *mutatis discedite partibus.* I. 9. 46 posset, qui *ferre secundas* sc. partes i. e. *δευτεραγωνιστής.*

[2]) cf. Andr. III. 1. 7 *divisa sunt temporibus tibi,* Dave, *haec;* tanquam fabula.

[3]) cf. Hor. ep. I. 18. 66 *fautor* utroque tuum *laudabit pollice ludum* i. e. tibi penitus assentietur. deinde: II. 1. 223 cum *loca* jam *recitata revolvimus irrevocati;* ab histrione depromptum est, qui plausu revocatur.

praebenda aediles locaverunt; a vestimentis scenicis hae translationes sunt depromptae[1]). — Capt. III. 4. 123. ita mi stolido *susum vorsum os sublevere;* a fuco locutio oritur, quo vultus in pejus mutari potest, ut illitus ridiculam speciem praebeat, unde decepti hac locutione utuntur. — Pseud. 706. ut *paratragoedat* carnufex i. e. magnifice tanquam in tragoedia partes agens loquitur et se gerit. carnufex hic, sicut saepissime, malam sententiam non habet, sed contra admirationis et dilectus quiddam. cf. Bacch. IV. 6. 15. perinde intellige: Merc. 203. *scelestus.* Mil. 11. 41. mala cf. nostrum: ein ganz verfluchter Kerl, Teufelskerl, kleine Hexe. cf. Ter. Eun. III. 5. 50. *asinus;* nimirum maxime refert, qua ratione, qua vocis temperie illa vocabula pronuntientur.

δ. a circo. Aliquantum similitudinis cum theatro est circo, quoniam ibi quoque specula praesentantur, etsi alius generis. Mil. IV. 2. 1. jam'st ante aedis *circus,* ubi sunt *ludi faciundi* mihi i. e. nunc ante aedis locus est, ubi dolos expediam. a pugilatu et lucta: Stich. IV. 2. 46. quicumvis *designo* multo facilius quam cum *fame;* fames pugilis metuendi instar est, quod nemo ei resistere potest. Amph. III. 4. 16. *follem pugilatorium* ex te faciam sc. ita te verberabo. Epid. I. 1. 18. *pugilice* atque *athletice* i. e. firmiter ac robuste[2]) cf. Bacch. II. 3. 14. Pseud. V. 1. 3.

---

[1]) vocabulum *χορηγεῖν* paullatim significationem apparandi, *χορηγίας* apparatus accepit cf. Anaxipp. 4. 460 (35) *ἐμβαμματίοις γλαφυροῖσι κεχορηγημένα,* translatio est a culina in theatrum facta. cf. Aristoph. *Αἰολίσκιον* 2. 946 (7) et 1009 (11):

Ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον
λιπὼν ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια

κρίβανοι tanquam spectatores in theatro sedentes ponuntur.

[2]) Ter. Eun. II. 3. 24 si qua est habitior, *pugilem* esse

magnum hoc vitium vinost, *pedes captat* primum, *luctator* dolosust. Trin. I. 2. 90 *prosilui*[1]) amicum castigatum innoxium; tanquam luctator prosiliens adversarium captaturus. — Truc. V. 62. *solve sonam,* inquit miles ad meretricem; illa provocatur ad coetum, quasi id certamen sit gladiatorium. ab hominis cum bestia certamine: Men. I. 2. 49. *concede* audacter a *lenonio cavo;* meretrix vel leno bestiae, ejus domus cavi est instar; ceterum in lenonio cavo facile de cavo leonino cogitatur.

A stadio[2]). Epid. V. 1. 56. neque ille haud

---

agunt. — deinde ex pugnis gladiatoriis multa deprompta sunt a Terentio et praecipue ab Horatio: cf. Ter. Eun. I. 2. 98 *labascit, victus* est uno verbo; etiam in sermone pedestri usitata est translatio, ut evincendi, pervincendi, simplicis vincendi significatio eadem sit atque coarguendi. Andr. III. 1. 57 *restitue* quem a me *accepisti locum,* contrarium est: loco movere. Sententia est: omnia mihi integra et salva redde, qualia tibi tradidi consulturo (Donatus). Hor. sat. 1. 1. 104 pergis *pugnantia secum frontibus adversis componere.* I. 3. 39 nullique *malo latus obdit apertum,* quasi malum pugil vel luctator adversarius sit. ep. I. 1. 12 *rude* donatum quaeris me antiquo *includere ludo;* rudis baculum est, quo donatus gladiator in futurum vacabat. Sententia est: me, qui satis multos versus feci et otiari consilium cepi, eo redigis sive redire cogis. — I. 19. 47 *diludia posco,* sic gladiatores dicebant sui recreandi causa aliquantum requietis poscentes; hic nihil aliud nisi moram sive dilationem sive otium significat locutio. cf. I. 2. 97 *caedimur* et totidem *plagis consumimus hostem;* perpetua mutua adulatio cum gladiatorum parium certamine confertur, quod ideo in infinitum ducitur.

[1]) cf. Hor. ep. I. 19. 7. Ennius ipse pater nunquam nisi potus *ad arma prosiluit.* Poëtae ipsi tribuitur, quod de aliis narrat cf. sat. I. 10. 36. *Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona* — et Strattidis *Ἀνθρωποῤῥαιστής* 2. 763 (1) *Εὐριπίδου δὲ δρᾶμα διέκναισ' Ὀρέστην.*

[2]) cf. Hor. sat. I. 7. 8. Barros ut *equis praecurreret albis* i. e. longe et egregie aliquem superare; equi albi pretiosissimi habebantur. ep. I. 2. 71 nec *tardum, opperior,* nec *praecedentibus*

objiciet mihi *pedibus* sese *provocatum;* qui enim in decursione prior est, is non lacessere et quasi provocare, ne dicam tardidatem, concurrenti obicere videtur. Sic Douza interpretatur, mea quidem sententia non satis liquide. Sentit enim Epidicus se Stratippoclem adolescentem ingenio sibi parem non ducere, eumque pudet illum ad certamen provocare, cum de re agatur, ad quam exsequendam prudentia sit opus. — Most. I. 1. 32 is nunc in aliam partem *palmam possidet;* victori certaminis sive scenici, sive pugilatorii, sive cursorii palma praemio dabatur; locutio etiam in prosa oratione trita est.

Cap. 3.

II. a re rustica.

Jam accedamus ad eas translationes, quae considerationi occupationum et studiorum hominis debentur atque initium faciamus a re rustica praemissis iis, quae ad terram ipsam, imbrem, coelum pertinent.

a. a natura: α. ab imbre. Curc. 129. ecce autem *bibit arcus,* hercle credo hodie *pluet;* arcus enim caelestis a veteribus putabatur indicium imbris futuri; „hodie pluet" significat: hodie flebo. in ominibus est locutio, ut dentes, scapulae pruriunt, supercilium salit [1]).

---

insto i. e. auream mediocritatem teneo. cf. Eupol. Δῆμοι 2. 458. (6. 4) ἐκ δέκα ποδῶν ἥρει λέγων τοὺς ῥήτορας i. e. longe eos superabat. Vitam frequentissime in sermone quoque quotidiano cum stadio comparari audimus, etiam apud nos, ut Lebenslauf, Lebensbahn e. a. cf. Ter. Adr. V. 4. 6. nam ego *vitam* duram prope *decurso spatio omitto* i. e. vitae spatio prope plane confecto.

[1]) cf. Virg. Georg. I. 380 et *bibit* ingens *arcus* et Prop. III. purpureas *pluvias* cur *bibit arcus aquas?* — Anaxandrid.

Most. IV. 1. 15. *malum* quom *impluit* [1]) ceteris, ne *impluat* mi; multa verbera tanquam pluvia sentiuntur. cf. comparationem cum cottabo factam. Capt. II. 2. 86. nam hoc tibi in *proclivi* 'st, quam *imber* est, quando pluit. Quidquid enim a superiore ad inferius tendit, facilem ac celerem motionem agit, unde proclivis sensum facilis habet; imber rei facilis exemplum commemoratur; cf. Mil. IV. 2. 27. fecisti modo mihi ex *proclivo* palam rem i. e. facillime. *β.* a flumine. Stich. II. 2. 6. *ripisque superat* mi atque *abundat pectus laetitia* meum; pectus tanquam fluminis alveus, magna laetitia flumen concitum et ripas excedens cogitatur. Flumini ripas excedenti cum alii multum alluserunt tum Horatius [2]). *γ.* a fonte, monte sive saltu. saxo sive lapide, via: Truc. II. 7. 62. *fons viti* et *perjurii;* convicium servile; homo intelligitur, a quo omnia mala proficiscuntur [3]). Bacch. IV. 8. 28. jam

---

f. inc. 3. 197 (6) *διασκεδᾶτε τὸ προσὸν νῦν νέφος ἐπὶ τοῦ προσώπου*; etiam apud nos metaphora usitatissima est; frons quasi coelum et rugae, signa sollicitudinis vel doloris, nubes sunt.

[1]) similiter Goethius noster dicit cf. Faust, Kellerscene. Brander ille ad Mephistophelem: Na wart', es sollen Schläge regnen.

[2]) cf. Hor. sat. I. 1. 58 plenior ut si quos delectet copia justo — cum *ripa* simul *avulsos* ferat *Aufidus* acer; Aufidus pro flumine ponitur, proprium pro communi; poëta hoc flumen memorat, quod Apuliam ejus patriam perfluens cogitationi proximum est; ad sententiam cf. 59—60. at qui tantuli eget, quanto opus est, is neque *limo turbatam haurit aquam* etc. — cf. Ter. Phorm. II. 2. 9 in me omnem *iram derivem* senis; supra laetitia, hic ira fluminis instar est; ejusdem generis sunt: Cratin. *Πυτίνη* 2. 119 (7) *ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασι,* nos quoque: mit Gedichten überfluthen cf. wässerige Gedichte. cf. Cephisodori *Ἀμάζονες* 2. 883 (1) *ἐγὼ δὲ τοῖς λόγοις ὄνος ὕομαι.* cf. p. 35. ann. 2.

[3]) cf. Cicero fons salutis cf. Quinct. VIII. 6. — Hor. sat. II. 4. 94 at mihi cura non mediocris inest *fontes* ut adire

illorum ego *animam* amborum *exorbebo* oppido cf. Hom. Od. XIX. 450; corpori, quod fontis; animae, quod aquae est, attribuitur. Stich. II. 2. 16. 17; *medullam lassitudo, fames perbibit;* quasi corpus fons, medulla aqua, lassitudo vel fames homo vel animal sitiens sit. — Men. V. 6. 30. meumque erum ex hoc *saltu* damni salvom ut educam foras; damnum hic persona nominatur, quae damnum infert; meretrix tanquam bestia cogitatur, cujus saltus (nos: Höhle, Aufenthalt) est lustrum cf. supra et Curc. 56. *pandit saltum saviis.* — Aul. II. 1. 30. *lapides loqueris;* durus et asper est tuus sermo cf. nostrum: Du sprichst Blech et Mühlsteine weinen de lacrimis, quas durus homo flet. et Amph. II. 1. 79. *nugas blattis* [1]. — Persa I. 1. 42. nam tu *aquam* a *pumice* hercle postulas, qui ipsus sitiat i. e. postulas, ut pumex, qui ipse sit siccus, fons fiat, qui aquam edat; sentit: argentum poscis hominem pauperrimum. — Curc. 35. nemo ire quemquam publica prohibet *via* [2], dumne per *fundum septum* facias semitam i. e. scortum adire quodvis cuivis licet, sed cavendum

---

remotos atque *haurire* queam vitae *praecepta* beatae. a. p. 53. *graeco fonte cadent parce detorta* sc. verba cf. supra. — Cratini *διδασκαλίαι* 2. 36 *ὅτε σὺ τοὺς καλοὺς θριάμβους ἀναρύτουσ᾽ ἀπηχθάνου.* nos: Triumphe ernten — a messe.

[1]) Aristoph. *ῥόδα μ᾽ εἴρηκας.* Hamlet III, 2 sub finem. *I will speak baggers,* loquar sicas. cf. Platonis *Λάκωνες ἢ ποιηταί* 2. 639 (2) *ὅταν δέωμαι γωνιαίου ῥήματος — τούτῳ παριστῶ καὶ μοχλεύω.* cf. Theopomp. f. inc. 2. 819 (11) *αἱμασιολογεῖν ἠπίστατο,* sentes loqui sciebat i. e. acerba verba cf. nostrum: stachelichte Reden, geharnischte Sonette. Epilyci f. inc. 2. 888 (3) *μῆλα καὶ ῥόας λέγεις.*

[2]) cf. Hor. ep. I. 19. 20 litera per *vacuum posui vestigia* princeps, non *aliena* meo *pressi pede* i. e. in sermonibus componendis neminem ducem secutus sum, sed ipse illud carminum genus inveni.

est, ne virgini aut nuptae mulieri vis afferatur, quippe quae marito soli sit destinata.

b. ab agricultura: Jam, ut erat propositum, scrutemur, quae translationes ab agricultura productae sint, ac primum quidem α. ab agro sive fundo: Asin 874. *fundum alienum* arat[1]), *incultum familiarem deserit* i. e. cum scortis cubat, uxorem neglegit cf. Curc. 35. dumne per *fundum septum* facias semitam quod iam supra allatum est. — Epid. I. 2. 18. *hominem irrigatum plagis* pistori dabo; homo quasi fundus, plagae aqua intelligitur. ibidem IV. 1. 34. in me *aerumnam obsevisti* gravem; persona fundi, aerumna seminis fingitur imago — Asin. 296. *catenarum colone;* convicium servile cf. Pers. III. 3. 15. *pistrinorum civitas;* catenae tanquam fundus cogitantur, qui a captivo vel servo colitur. Trin. V. 1. 6. ut quae cum ejus filio egi, ei rei *pater* sit *fundus potior;* consilia velut semina animo insita bona vel sententiae consulentis respondentia facta tanquam fructus progignere vult. Truc. IV. 2. 19. nunc is *fundus* nobis sc. ex quo rei familiaris fructum percipiamus. — Aul. 6. *stimulorum seges;* convicium servile cf. Men. V. 7. 23. hisce ego jam *sementem* in *ore faciam pugnosque obseram;* servus quodammodo est ager, ubi verbera seruntur; fructus hujus segetis sunt calla, dolores. Truc. I. 2. 47. illa, haud ego, *habet publicum;* pervors interpretaris; nam adversus legem a me ob meam *scripturam pecudem accepit* — comparatio usque ad versum 53 patet; scriptura vectigal appellatur, quod coloni publicanis, qui

---

[1]) cf. Mendr. 4. 275 (185) *παίδων ἐπ' ἀρότῳ γνησίων δίδωμί σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα*; formula est, quam pater in filia locanda ad generum loquitur cf. 4. 422 (18. 3) *ὅτι τὸν κατασπείραντα λυπῶ κοὐ φιλῶ* i. e. patrem. cf. significationem seminis nostrique »Samen«, quum de sexu agitur.

publica vectigalia conduxerant, pendere debebant, quod si non solvebatur, publicani committentibus pecudem abigebant. In comparatione publicani meretricem, arva sulcum, colonus amatorem, scriptura dona ab illo meretrici data significant. *β.* ab aratro: Pseud. IV. 2. 27. homo *medio* est in *luto;* de aratro dictum est, quo ager luteus aratu difficilis suffoditur; ergo significat locutio: in difficultatibus haerere. Aul. 556. *rediget* in *splendorem compedes;* ut aratrum otio robiginosum, usu splendidum fit vel manet, sic catenae. — *γ.* a messe: Epid. V. 2. 52. ut acerbum est pro benefactis quom mali *messem metas* cf. nostrum: Undank ernten. — Rud. III. 3. 23. ut tibi *ulmeam uberem* esse speras *virgidemiam* et tibi esse *eventuram* hoc anno *uberem messem mali;* minae sunt in servos factae et frequentes reperiuntur. ibidem III 4. 58. jam tibi hercle in ore *messis* fiet *mergis pugneis;* hic manus cum merga sive furca comparatur propter digitorum illiusque dentium similitudinem. — Merc. II. 3. 80. *pinsetur flagro* — tanquam frumentum in area vel pistrino [1]). Most. III. 2. 112. sibi quisque *ruri metit* i. e. suo quisque lucro consulit sive studet. cf. nostrum: Jeder sieht, wo er bleibt, fegt vor seiner Thür. Stich. II. 2. 64. *Revorram* hercle hoc quod *convorri* modo i. e. quod dixi, irritum sive indictum reddam. — Capt. III. 5. 3. *sator sartorque scelerum* et *messor;* convicium servile.

c. ab arboribus [2]) et aliis nonnullis plantis: Epid. III. 4. 23. *eradicabam hominum auris* i. e. cru-

---

[1]) cf. Eun. II. 3. 89 at enim istaec in me *cudetur faba.* Sententia est: hac re verbera mihi contraham cf. nostrum: Diese Sache werde ich wohl ausbaden müssen sive diese Suppe werde ich wohl ausessen müssen.

[2]) cf. Heaut. II. 3. 1 *sermones caedere;* quasi sint sermones arbores i. e multa verba facere; sed fortasse eandem signi-

ciabam ad extremum. cf. Aul. 206. *elinguare* usque a *radicibus.* Bacch. V. 6. 1. perditus atque *eradicatus* sum. Stich. V. 2. 38. ego pol vos *eradicabo.* homines[1]) saepe cum arboribus comparantur et v. v. cf. Hor. Od. III. 1. 30. praecipue in nostro sermone; sic loquimur de brachiis, medulla, crinibus (cf. supra), adeo de capite arboris cf. Heine, Buch der Lieder p. 105: Ein Fichtenbaum steht einsam — ihn schläfert — er träumt etc. alibi: er schüttelt stumm das Haupt et Horchend stehen alle Wälder, jedes Blatt ein grünes Ohr. contra hominem liberis vel cognatis privatum appellamus: einen entblätterten Stamm. Men. II. 3. 24. *folia* nunc *cadunt,* tum *arbores* in te cadunt i. e. nunc tibi parvae accidunt calamitates, mox ingentes tibi accident; hic metaphora non rebus ipsis sed gradatione in rebus posita efficitur. — Cas. III. 6. 1. vide, fur, ut *sentes* sub *signis ducas;* fures sentium sunt instar, quippe qui, quidquid arripuerunt, retineant. — Stich. IV. 56. nam mihi *potione juncea*[2]) onerabo gulam i. e. aqua

---

ficationem habet locutio, quam nostrum: Haare spalten; haud satis ex loco liquet, utra interpretatio sit rectior.

[1]) Men. sent. 4. 343 (123) *δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται* cf. nostrum: holzen, quod idem significat ac verberare, pervellere baculo. Sententia est: Quum magnus homo loco movetur atque cadit, omnes in eum invehuntur, qui antea eum adire non potuerant aut ne ausi quidem erant. — hominem cum fructu comparat Xenarchus 3. 617 (1. 9) *ἂν μὴ ποιήσω πέπονα μαστιγῶν ὅλος* cf. ann. 4. 669 (285) verbera sicut solis radii fructus, hominis tergum emolliunt cf. nostrum windelweich schlagen; translatio: windelweich machen. idem est ac permovere, persuadere. — pro morum acerbitate ponit arborem, cujus fructus acerbus est, anonymus quidam 4. 621. *μοχθηρὸς ὢν καὶ τὴν γνώμην ἀχερδούσιος;* pirus est, quae pira acerba fert, et significatio est acerbi, morosi hominis.

[2]) cf. Eun. II. 3. 25 *juncea* gracilis virgo vocatur, contra crassa pugil cf. Platonis f. inc. 2. 679 (2) *καλάμινα σκέλη φορῶν.*

(ubi junci crescunt) me implebo. Men. II. 1. 22. in *scirpo nodum quaeris* sc. quamquam non ignoras te ibi nihil reperturum esse; sententia: aliquid plane frustra agere; in proverbio est. Ceterum in multis proverbiis metaphorae versantur eaque ipsis imaginibus memoriae se commendant cf. Andr. V. 4. 39, Phorm. IV. 5. 3. — *Floris* nomine amator amores suos alloquitur; frequentissime hoc sensu offendentur flos, rosa cf. Men. I. 3. 9 [1]). — Trin. IV. 2. 9. Pol hic quidem *fungino genere* est, capite se totum tegit. Charmidas sycophantam cum fungo comparat, quod hic magno petaso caput texit. cf. Bacch. II. 3. 49. adeon' me fuisse *fungum*, ut qui illi crederem! fungum se appellat senex, quod aeque facile fidem hospiti habuit ac fungus aquam concipit; credulitas comparatur cum fungo propter ejus multas rimas; tertium comparationis inest in facili admissione. – ab arborum fructibus petita metaphora una Plauti est: Capt. III. 4. 122. *Nuculeum* amisi, retinui pigneri *putamina* i. e. pretiosum amisi, vile retinui; Dominus effugit, servus remansit; e nuce imago explicatur vel potius — enucleatur.

d. ab animalibus domesticis: Animalia domestica aut sunt homini tanquam domicilii socii, ut canis et feles, aut socii (cf. Schilleri Tell act. II. sc. 2. Arnold v. Melchthal: Der Stier, der sanfte Hausgenoss des Menschen). et ministri operis, ut bos, equus, asinus; aut alumni, qui laboris partem non capiunt, sed maximam partem aluntur, ut mactati rursus

---

[1]) cf. Eun. II. 3. 27 deinde Lessing, Emilia Galotti sub finem: Eine Rose gebrochen, ehe der Sturm sie entblättert. Othello V. sc. 1. When I have pluck'd thy rose, I cannot give it vital growth again, it needs must wither: — I'll smell it on the tree. – O balmy breath!

alant, ut sus, ovis, anser, gallus et gallina, columba; aut se ipsa alentia animalia eademque homini utilia, ut apes; aut se ipsa alentia et quamquam non manifestam utilitatem ferentia, tamen oculos vel aures delectantia, ut parvae aves, praecipue occines; aut nihil horum omnium sunt, ut mures et insecta quae vocantur, quae plus nocent quam prosunt. Atque ita animalium domesticorum mos in sermone valet et pollet, ut cum ex totis sententiis tum ex singulis vocabulis et imprimis nominibus rerum quarundam recens inventarum cogitatione creatis eluceat, quantum homines omnium nationum ex antiquissimis temporibus in investigandam eorum vitam et rationem incubuerint et ad usum metaphorarum ab iis petitarum inclinaverint ab iisque maxime, quae proxima hominum consuetudini vixerint et adhuc vivant. — Sic aries machina bellica nominatur, quippe quae arietis instar moenia tundat; in nostro sermone aurigae sedes „Bock“ nuncupatur et arietum vel caprorum ritu i. e. cubitis pugnare „bocksen“; substantivum „Hahn“ inservit variis rebus significandis, parti dolii, telorum hujus temporis aliisque, apud Francogallum idem efficit „chien“. *γέρανος*, nostrum „Krahn“, machina erat, qua merces in naves tollebantur, sicut apud nos; verbum musculus, parvus mus, adhibebur ad significandas carnis fibras vel glebas, quod, potissimum eae, quae in lacertis sunt, motione speciem quandam murium praebent. cf. Hense: Poetische Personification in griechischen Dichtungen, Halle 1868. Nec vero solum species, sed etiam alia eorum propria, maxime vox de hominibus praedicata ad locupletandam copiam verborum, quibus est vis praegnans atque ea plerumque parum honorifica, plurimum contulerunt. Imprimis convicia ex comparatione anima-

lium multa orta sunt, etsi illa homini non semper opprobrio, sed nonnunquam etiam laudi fit. Sunt enim quaedam bestiae ingenuae quae vocantur, quibus aut sunt aut tribuuntur magnae virtutes, ut leoni vis et fortitudo et animus regius, perinde aquilae; lusciniae vox canora. Sed comoediam facile apparet ad eas bestias frequentissime alludere, quae ludibrii aliquid exhibent. Si vero sunt inter bestias, quae virtutes et vitia habeant, illis omissis haec promuntur; cujus rei non pauca exempla Plautum legentibus occurrunt: a cane. Mil. III. 1. 87. set nolo mi *oblatatricem*[1]) in aedis intro mittere; in uxorem perpetuo rixantem dictum est cf. nostrum: Kläfferin; verbum oggauniendi frequentius apud Plautum et Terentium de muliere litigiosa adhiberi videmus. cf. Asin II. 4. 16. Ter. Phorm. V. 9. 41. IV. 2. 17. — Asin 737. qui amores nostros *dispulsos compulit;* quasi amores sint grex, qui a sene tanquam a cane compellitur. — Epid. IV. 2. 9. aliter *catuli olent,* aliter *sues;* sententia inest: non opus est matri ornatu vestituque, ut filiam recognoscat, natura ipsa indicat, sicut procul bestiae odor docet, canisne sit an sus an alia bestia; hoc loco discrimine catuli et suis id quoque exprimitur, ut virgo a scorto secernatur. Capt. III. 1. 26. ne *canem* quidem *inritatum* voluit quisquam *imitarier,* saltem, si non riderent, *dentes* ut *restringerent.* Hominibus ridentibus canum lacessitorum similitudo tribuitur, quod ridendo hominis dentes apparent, ut canis latrando; indidem nostrum: Die Zähne weisen. Trin. I. 2. 32. *opservavit* (sc. lupus esuriens et inhians), dum dormitaret *canes,*

---

[1]) cf. Hor. sat. II. 1. 85. si quis *opprobriis* dignum *latraverit?* hic verbo latrandi non inhoneste alluditur. II. 2. 18. *latrantem ventrem* cf. supra.

gregem nunc *vorsum* voluit totum *avortere* [1]); lupus filium prodigum, canis patris amicum, qui filii tutor est, grex rem familiarem repraesentat. hoc loco canis in bonis partibus versatur, quod persona comparans se ipsa canem appellat et lupo opponit virtute vigilantiae praeditum. — a fele. Rud. III. 4. 43. *feles virginalis* cf. Pers. II. 5. 6. *feles virginaria;* leno per convicium sic appellatur, quod sicut feles mures, virgines capiat captasque teneat. — a bove. Aul. II. 2. 52. in mentem venit te *bovem* esse et me *asellum* [2]) i. e. tu dives es, ego pauper; bos enim multo majoris pretii est, quam asinus. ibidem II. 2. 57 et 58. *asini* me mordicibus (i. e. dentibus) scindant, *boves* cornibus; periculum est, ne ab asinis ad boves descendam i. e. a minore periculo in majus incidam cf. nostrum: Vom Regen in die Traufe kommen. Pseud. IV. 3. 65. ne in re secunda nunc mi *obvortat cornua* i. e. ne contra me agat. Stich. I. 2. 6. vos *monimentis commonefaciam bubulis* i verberibus loris impactis. nos diceremus: Ich werde dir ein Denkmal von Leder setzen sive einen ledernen Denkzettel geben. — Epid. III. 4. 78. meum *exculteravit* Epidicus *marsupium* sc. tanquam bovem mactatum, ut nihil restaret intra. cf. V. 2. 7. *exenteravit* mihi opes argentarias. Ex his duobus exemplis dilucide patet opes veteribus comicis anima quadam instructas ob oculos versatas esse, cui modo hominis, modo bestiae natura attribuatur [3]). cf. Capt. III. 5. 12. rem *dila-*

---

[1]) similiter dicit Hor. sat. II. 2. 64. hac *urguet lupus,* hac *canis;* imagines voracis vel prodigi hominis et nimis parci.

[2]) cf. Mein. 4. 698 (376) *εἰ μὴ δύναιο βοῦν ἐλᾶν, ἔλαυν᾽ ὄνον.* Zenobius interpretatur: *ἐπὶ τῶν ὃ κατὰ δύναμιν ἔχουσι πράττειν παρεγγυωμένων* in eos, qui plus pollicentur, quam possunt praestare.

[3]) cf. Hor. ep. I. 10. 47. *Imperat* aut *servit collecta*

veravisti, deartuavisti opes. Amph. I. 1. 79. *boat coelum fremitu* virum i. e. resonat. — Mil. II. 3. 33. quam mox horsum ad *stabulum juvenix recipiat* se *pabulo* i. e. puella.

ab equo: Mil. IV. 3. 19. ad *equas* fuisti *scitus admissarius;* in hominem prurientem dictum. fragm. apud Maium Cist. 39–40. quamquam *vetus cantherius* sum, mihi nunc, ut ego opinor, *adhinnire equolam* possum ego hanc, si detur sola soli; senex cum jocosa sinceritate se ipse cantherium appellat, instar hominis, qui generare jam non potest; cantherius enim est equus castratus. — Capt. III. 5. 97. usque *offrenatum* suis me *ductarent dolis;* tanquam equum frenis [1]).

ab asino sive mulo: Poen. III. 3. 71. illud (sc. lucrum) quidem, quorsum *asinus* caedit calcibus i. e. lucrum ad te non provertetur, sed retrorsum a te abscedet. — Most. III. 2. 91. *vehit* hic *clitellas;* cf. nostrum: er trägt Hörner sc. senex; deceptus est.

---

pecunia cuique tortum digna sequi potius quam ducere funem. Imago petita est a bove, qui mactandus a lanio ducitur. Si bos funem sequitur, homo vis agens est, si homo sequitur, ut bos funem tendat et illum trahat, hic validior homine est; illa condicio pecuniae imperanti, haec servienti respondet.

[1]) cf. Hor. sat. II. 7. 74. jam vaga *prosiliet frenis natura remotis;* natura tanquam equa cogitatur. cf. ibidem 94. *subjectat lasso stimulos versatque negantem* sc. cupiditas in homine valet, quod in equo calcar. — sat. II. 1. 20. cui male si *palpere, recalcitrat* undique tutus; hanc imaginem ab equo petitam esse patet; sed inde quod Augustum comparatio minime honorifica spectat, cognoscimus poëtam vim figurae non jam sensisse, sed figuram loco propriae locutionis posuisse cf. prooemium et ejusdem ep. I. 1. 8. *solve senescentem mature sanus equum* ne peccet ad extremum ridendus et *ilia ducat;* poëta se cum equo senescente comparat, cujus vires decrescunt. — Menandr. sent. 4. 342 (81) *γαστρὸς δὲ πειρῶ πᾶσαν ἡνίαν κρατεῖν.* cf. Diphil. 4. 624. (77) *περίθες σαυτῷ τὸν πνιγέα.*

Asinus aeque atque apud nos a veteribus homo stultus (Most. 430.) convicium, ut nostrum: Esel. vel infaustus vocabatur cf. nostrum: Pechvogel [1]). omni probro vacat loco aliquoties jam allato: Eun. III. 5. 50. — a sue. Epid. IV. 2. 9. aliter *catuli* longe *olent*, aliter *sues*. Suis in hominem translatio summo opprobrio ei fit [2]). Excipiendus mihi videtur locus Horatii ep. I. 4. 16. cum ridere voles, *Epicuri de grege porcum*; poëta enim ipse hujus philosophiam secutus est. Sic nos quoque sine ulla ira contemptuve dicimus: Du kleiner Schweinigel, kleines Ferkel. cf. Eun. III. 5. 50. — ab ove. Bacch. V. 1. 9. Is me scelus *auro* usque *attondit dolis*; homo deceptus ovis est, doli quodammodo cultri cf. ibidem II. 3. 7. adibo nunc quem quidem ego hodie faciam hic *arietem Phrixi*, ita *detondebo auro* usque ad *vivam cutem*. Merc. 567. *vervex*. cf. nostrum: Schafskopf cf. Capt. IV. 2. 40. Pseud. I. 1. 23. ut opinor, *quaerunt literae sibi liberos, aliam alia scandit*; tanquam oves: — Fragm. Fretum ap. Gell. III. 3. 8. nunc illud est, quod *arietinum responsum* magnis ludis dicitur; arietinum responsum vel oraculum id est, quod malum praedicit utramcunque in partem interpretaris [3]);

---

1) cf. Philem. f. inc. 4. 61. (93) *ὄνος βαδίζεις εἰς ἄχυρα τραγημάτων.* Dicebantur haec sine dubio in aliquem, qui sero in convivium veniret, cum vix bellariorum aliquid reliquum esset (Meineke).

2) cf. Cratetis *Γείτονες* 2. 234. (6) *ὗς διὰ ῥόδων.* Photius: *ἐπὶ τῶν σκαιῶν καὶ ἀναγώγων.* — Hor. ep. I. 15. 28. scurra vagus, non qui certum praesepe teneret; academici hujus temporis per jocum, quum mensae communis, ubi publice accubant, mentionem faciunt, eadem significatione utuntur: wir gehen zur Krippe. nonnunquam sane in ea re nomen est omen. cf. Eubul. f. inc. 3. 270 (17) *πολλοὶ φυγόντες δεσπότας ἐλεύθεροι ὄντες πάλιν ζητοῦσι τὴν αὐτὴν φάτνην.*

3) cf. Ter. Phorm. III. 2. 21. *auribus teneo lupum* i. e.

quid tertium comparationis statuendum sit ad locutionem plane declarandam, non satis patet; fortasse ab arietis ictu, ab utroque cornu pariter vehementi et periculoso, imago est deprompta. cf. Lenau's Ged. p. 148. ed. Anast. Gruen. Cotta. „Das Dilemma.“

ab avibus: Amph. I. 1. 172. *vox advolavit.* — Poen. III. 3. 63. nos tibi *palumbem* ad *aream* usque adduximus i. e. rem tibi facilem praestitimus, nunc eam exsequere; allusio quaedam virginis, de qua agitur, inesse videtur [1]. Capt. V. 4. 7. itidem mi advenienti haec *upupa,* qui me delectem, data est; hic upupa ascia significatur, quae lapidibus vel ligno duro vehementer incussa upupae instar resilit. — Asin. V. 2. 84. *cuculus*; is nominatur cuculus, quem stultum esse aliquis exprimere vult. cf. Trin. 245. et nostrum: Gimpel. De volucrum voce in hominem cum contemptu translata vide infra [2]. — ab apibus. Truc. II. 2. 59. Traditus

---

nescio utrum faciam, quoniam utrumque est malum. Tenentem enim pedibus, mittentem dentibus lupus lacerat.

[1]) cf. Aeschyl. suppl. 10. ubi virgines Danaides cum *columbarum turba* comparantur cf. Aristoph. f. inc. 2. 1182. (22) *πρὸς ἄνδρας εἰσὶν ἐκπετήσιμοι·* nos quoque de hominibus potissimumque de virginibus nondum prorsus puberibus „kaum flügge“. cf. 4. 646. (167) *ἀπτῆνα τύτθον ἄρτι, γυμνὸν ὀστράκων.* videtur comici versus esse de homine, qui immaturus et praeter aetatem ad rem publicam accesserat (Mein.) cf. Hor. ep. I. 20. 21. *majores pennas nido extendisse* et contrarium II. 2. 50. *decisis pennis,* utrumque de homine dictum, qui praeter rerum condicionem vivere studet. cf. nostrum: Die Flügel sind ihm beschnitten de homine, quem opes vel vires defecerunt.

[2]) a gallina: Phorm. III. 2. 11. *garri* modo; garrire intelligendum est: multa et stulta loqui, inde garrulari; cf. ibidem V. 8. 41. cf. Hor. sat. I. 10. 41. *garrire libellos;* ibidem II. 6. 77. Cervius haec inter vicinus *garrit aniles* ex re *fabellas.* similiter Diph. 4. 413. (5) *ἐχήνισας* i. e. *ἐλάλησας ὡς χήν.* cf. Phryn. *κωμασταί* 2. 587. (2) *τερετιῶ πτιστικόν*; ab hirundine vel cicada.

est locus his verbis: *Neque istuc in se gestit, ergo coget exanimem mali,* ubi exanimem adjectivo in examen substantivum mutato aliquantulum sensus elaborari potest. Rerum condicio, quam, ut intelligatur locum codicibus traditum plane ineptum esse, describi opus est, ita se habet: Stratilax servus truculentus, senem certiorem facere vult filium consuetudine meretricis rem familiarem perdere, et addit verba supra memorata, quae, si proposita medela recepta est, significant: Neque istuc in se gestit sc. senex i. e. neque consuetudinem meretricis, qua filius utitur, cupit neque ea gaudet — ergo coget examen mali — quasi apum pungentium sit examen meretricis consuetudo; in hac interpretatione cogere idem esset ac depellere, nostrum „zu Paaren treiben", ut periculum ab apibus imminens illis depulsis tollatur. Hoc ego ferrem, nisi offenderem locutione „in se gestit". Nam primum quidem gestire hoc loco in sententiarum nexum omnino non quadrare mihi videtur, quoniam per se intelligitur senem neque gaudere neque cupere filium meretricis consuetudine uti nec servum affirmare et comprobare opus est. Deinde vero, quid gestire in se? Potestne quisquam etiam extra se gestire? Si eam dicendi rationem in epicis carminibus, ut apud Homerum *ἐν ἑαυτῷ* vel *κατὰ θυμὸν χαίρειν,* reperiemus, in ea nihil offendemus; aliter apud Plautum judicandum est. Verba „in se" mihi plane supervacanea videntur esse. Hanc causam fuisse cur Lambinus, Scaliger, Gronovius, alii multi versum ipso hoc loco, quo „in se" vides, sanandum temptarent, verisimile est. Ac Scaliger quidem cum Lambino

---

πτιστικόν est carmen, quod eo tempore canebatur, quum uvae torquebantur, idem significat *πτισμός* cf. Nicophontis *χειρογάστορες* 2. 853. (5).

scribit: Nequa is istuc in segastro cogat examen mali et explicat: nequa senex istuc examen mali congerat in stragulo, ubi ipse parcus dormit. Sed ut taceam de scrupulis, quos mihi movet forma segastrum vel segestrum — eius vocabuli a veteribus grammaticis tres formae afferuntur segestre, segestria, segestra, in quibus illa non est, — et verbum cogendi cum ablativo a praepositione „in" pendente conjunctum, mihi sensus, qui ita existit, minime placet, ut nimis obscurus et artificiosus. — Nec vero dubitarem Gronovii conjecturam: Namque istuc ni suggessi, tergo coget examen mali comprobare, quippe quae paucis literis mutatis locum expediat, nisi metrum offensioni esset, quoniam, quamvis magna licentia metrica septenariis trochaicis apud Plautum concedatur, tamen „namque istuc" pro trochaeo accipi non potest, praesertim quum **c** literam finalem pronominis istuc consonans **n**, litera initialis conjunctionis ni, sequatur. Atque ut Bothii Goelleri aliorum conjecturas praetermittam, quae loco parum medentur, mihi aliam lectionem proponere liceat, quae cum mutatione non ita magna aptam sententiam parare videtur: Ne quod istuc (sc. meretricis consuetudo) in se gestat, evolet examen mali. Hoc loci habitu recepto versus metaphoram continet, in qua meretrix vel ejus consuetudo accipienda est pro apiario, unde ne apes i. e. damna evolent, seni est cavendum [1]). — Trin. IV. 2. 158. jam dudum meum ille pectus *pungit aculeus* i. e. aerumna cf. nostrum: des Grames Stachel. — Fragm. Parasitus piger 4. nil moror mihi *fucum* in *alveo, apibus* qui *perdit cibum.* Sentenia est: nihili facio hominem otiosum, qui sedulis

[1]) Hor. de apibus cogitavit in ep. I. 19. 22. qui sibi fidit, *dux regit examen.*

victum diminuit. — ab aliis insectis. Men. V. 3. 7. move *formicinum* gradum i. e. lentum gradum, quo formicae incedunt, sane cum hominis gradu comparatum; per se enim formicae celeriter currunt cf. in supellectile. Poen. II. 1. 10. — V. 5. 25. tum me *locustam* censes esse sc. quod medicus Menaechmum rogavit, num ei duri essent oculi; sic enim homines, quibus oculi duri erant, vocabantur. — Merc. II. 3. 26. *musca* est meus pater, nihil potest clam illum haberi; musca imago est curiositatis, quod vel in angustissimas rimas repit. — Poen. III. 3. 76. Ita illi dixerunt, qui hinc a me abierunt modo, te quaeritare a *muscis;* parasitos et ejusmodi nugas hominum, qui alienis conviviis superveniebant, facete muscas vocarunt (Lipsius)[1] „a muscis“ postulat supplementum, liberum sc. hospitium, qua interpretatione responsum sequens, quod sine illa plane obscurum est, intelligitur. — Aul. 582. *lumbricus;* convicium est servo injectum, quod, ut vermis repente ex humo prorepens existere solet, ita ille antea illo loco ab Euclione non conspectus ex ara de subito emerserit, in qua assidebat. (Lambinus) a mure cf. supra feles virginalis[2]).

III. ab artibus. a. ab opificiis.

Intra aedium parietes ad vitam domesticam pertinent etiam artes, id quod de opificiis multo magis est censendum quam de bonis et ingenuis artibus. Ratio

---

[1]) eadem imago reperitur apud Antiphanem f. inc. 3. 134 (5. 6) in parasitos

ἀεί θ᾽ ὡσπερεί
᾽Ολυμπίασί φασι ταῖς μυίαις ποιεῖν
βοῦν τοῖς ἀκλήτοις προκατακόπτειν πανταχοῦ.

[2]) Epicratis *χόρος*. 9. 369. *ἤδ᾽* sc. *παρθένος ἄρ᾽ ἦν μυωνία* penes tanquam mures cogitati sunt, qui in sulcum irrepunt.

autem metaphorarum opificiis exhibitarum ea est, ut, quod eorum est proprium, ad ingenium transferatur; sic reperimus apud Plautum fabricam tanquam dolum cf. Mil. III. 1. 177; Bacch. II. 3. 132. Poen. V. 2. 39. Cist. II. 2. 5. cf. Ter. Heaut. III. 2. 34. et perfabricare eodem sensu ac decipere, artes ipsas pari significatione ac dolos etiam in sermone pedestri. cf. nostrum „schmieden, feilen, Feile anlegen, einfädeln, spinnen" e. a. — Jam singula opificia aggrediamur. Sunt autem metaphorae a fabro lignario: As. II. 2. 93. *exasciatum* opus, i. e. ascia politum, dolus subtiliter excogitatus et peractus. cf. Mil. III. 3. 11. *deasciare*, quod idem significat ac decipere cf. IV. 4. 6. *deruncinare*. — Epid. 94. *depoliet* virgis tergum i. e. hic illic iis tergum fricabit cf. nostrum: scheuern. — frgm. Astraba 3. *terebra* tu quidem *pertundis;* nexu absente locus non satis perspicitur; fortasse significant verba: subtiliter vel subtilius rem inquirit; similis imago inesse videtur in quinto versu ejusdem fragmenti: *terebratus* multum siet et *subscudem* addite; multum pro „satis" positum esse verisimile est totumque significat: Satis inquisivistis, nunc procedite ad finem, ad judicium; verba ad advocatos lente inquirentes et diu disputantes ab eo, qui illos consuluit et jam dudum audivit et exspectavit, quid judicaturi essent illi, dicta esse apparet. cf. Festum s. v. subscudes. — Bacch. V. 2. 82. ut *terebrat* i. e. persuadet; lingua terebri instar est. cf. Pers. II. 3. 55. Nunquam hercle istuc *exterebrabis,* ut tu sis pejor quam ego siem, i. e. persuadebis te esse pejorem. — a fabro ferrario. Epid. 91. *malleum* sapientiorem scilicet esse *manubrio;* contrarium est verum, quoniam in manubrio inest rationis quiddam, quo malleus recte agatur. Quod si imaginem

ad rem transferimus, de qua hoc loco est sermo, manubrium est herus, malleus servus. cf. nostrum: Das Ei will klüger sein als die Henne. — Mil. IV. 8. 24. *labra* in *labris ferruminat* [1]); quasi sint labra laminae ferreae. — Pseud. II. 2. 20. nam haec (sc. senex) mihi *incus* est; *procudam* ego hinc hodie *multos dolos* [2]). cf. nostrum: Pläne schmieden et proverbium: Wer nicht kann Hammer sein, muss sich gefallen lassen Ambos zu sein. — Capt. II. 3. 8. utroque *vorsum* rectumst ingenium meum — ad te atque ad illum — pro *rota* me uti licet; similitudo inter hominem et rotam est. quod in omnes partes celeriter se vertunt.

a. fullone. Asin. V. 2. 37. si non *didicisti fullonicam* sc. artem. i. e. si non extrema patientia uteris, quali in arte fullonica opus est. Pseud. III. 1. 16. cras mihi *potandus fructus* est *fullonius*. i. e. calla cf. nostrum: durchwalken. a lanio. Most. I. 3. 13. non *vestem* amantes mulieres amant set vestis *fartum*. Mulier cum farcimine confertur, ut corpus fartum, vestis involucrum sit. ibidem IV. 1. 27. illi erunt *bucaedae* [3]) multo potius quam ego sim *restio*. i. e. illi prius loris bubulis vapulabunt quam ego suspendar. nos hoc fere modo sententiam exprimemus: Jene werden eher mit dem Metzger Bekanntschaft machen als ich mit dem Seiler. cf. Mil. II. 2. 2. ego vestra *faciam latera*

---

[1]) cf. Aristotel. Poet. c. 4 ed. Bekker p. 169. v. 12. *δεῖ δὲ ἄμφω ἀεὶ κροτεῖσθαι*, i. e. conjungi.

[2]) cf. Hor. a. p. 441. male *tornatos incudi* reddere versus; tanquam laminam ferri male tornatam iterumque tornandam. nos quoque: Verse schmieden, Verseschmied; sed cum contemptu quodam. — Cratinus versus exstruit cf. *Ἐυνεῖδαι*. 2. 57 (2) *τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων*.

[3]) cf. Mend. *Ἀνατιθεμένη ἢ Μεσσηνία*. 4. 79. (3) *ἡγεῖται μ' ὅλως ἐπικόπανόν τι*; sc. ut vel me verberet?

lorea; verba significant aut: tam diu vos verberabo, dum latera vestra tam sicca et dura fiant, quam lora; aut latera vestra diu verberando ita dilacerabo, ut cutis pannae lororum speciem praebeant. a sutore. Pseud. I. 5. 126. *consutis dolis.* Capt. III. 5. 34. *ob sutelas tuas* te cruciavero[1]. a textore. Bacch. II. 3. 5. *extexam* ego illum pulcre jam. i. e. illudam et decipiam. ibidem II. 3. 116. *exorsa* haec *tela* non male omnino mihist, i. e. dolus cf. Pseud. I. 4. 6. neque exordire primum, unde occipias, habes neque ad *detexundam telam* certos terminos. Merc. IV. 4. 15. *scitum filum mulieris.* — Horatius rem textoriam imprimis ad poësin transfert. cf. sat. I. 10. 44, II. 1. 4, II. 3. 2. ep. I. 3. 31. II. 1. 225. a tonsore. cf. Capt. II. 16—19.

b. Multo pauciora ab artibus ingenuis translata reperimus, unde denuo cognoscimus, quantum usus metaphorarum cum hominum studiis et consuetudinibus cohaereat quantumque ex metaphoris concludi possit, quae et qualia fuerint illa. Sic ex paucitate translationum inde petitarum, si non novissemus, conjicere possemus Romanos ingenuis artibus, ut sculpturae, picturae, musicae, poësi haud ita magnam operam dedisse Plauti quidem aetate. Sed videamus, quousque poëta harum artium in metaphoris rationem habuerit: Pseud. IV. 1. 7. set eccillum video *verbeream statuam* i. e. hominem, cui verbera impendent vel qui saepe verberatur; statua verberea appellatur, quasi verbera sint materia, ex qua consistit. Poen. V. 3. 54. *graecae* sunt hae *columnae,* sustolli solent. Rud. III. 5. 41.

---

[1]) cf. Alexidis *Ἰσοστάσιον* 3. 422. (1, 2) *ῥάπτουσι δὲ πᾶσιν ἐπιβουλάς.* insidias struere. cf. Cratini fab. inc. 2. 215. (129) *ἀποτεμῶ τὰς μηχανάς.*

signa destituit senex cum *clavis*. cf. supra. Epid. V. 1. 20. quem *Apelles* ac *Zeuxis* duo *pingent pigmentis ulmeis* i. e. duo senes corium meum ulmeis virgis ita dilaniabunt, ut conspectum tabulae variis coloribus oblitae efficiat. ibidem III. 3. 29. *servum graphicum*. Scaliger interpretatur: ad unguem factus, ut Horatius, venustus scitoque ingenio et quasi pictoris (γραφέως) manu expolitus cf. Stich. I. III. 114. *ex pictura astitit*, deinde Trin. IV. 3. 17. *graphicum furem*. Pseud. I. 5. 104. *mortalem graphicum*. — Most III. 2. 56. Erus peregre venit — tunc tibi actutum *chorda tenditur*; corpus tanquam lyra cogitatur et sonus inde excitatus est clamor vapulantis.

IV. a mercatura.

Mercatura duplici natura est, si locum, in quo versatur, respicis. Partim enim est domestica partim domum excedit quin etiam mare transit. Quoniam autem res navalis maxime ad mercaturam [1]), certe multo magis quam ad bellum spectat, quod hic metaphoras a mari depromptas colloco, recte me facere existimo. Ac primum quidem agamus de metaphoris petitis.

a. a rationibus.

Cist. I. 3. 41. ut *expungatur* nomen, ne quid *debeam*. — Qui debitum reddidit, ejus nomen ex tabulis expungitur i. e. extinguitur. Sententia est: Officio meo functus sum. — Amph. II. 2. 81. *una resolves plaga*. nos: Du kommst mit einem blauen Auge davon de eo, qui parvo damno accepto ex periculo effugit. Most. I. 3. 146. bene igitur *ratio accepti* atque *expensi* inter

---

[1]) cf. Asin. I. 2. 9. ubi pro *mercatura mare* positum est.

nos *convenit;* nos dicimus eadem rerum condicione: Unser Debet und Credit sive unsere Conti's sind ausgeglichen sive wir sind quitt. Sententia est: tu mihi idem fecisti, quod tibi ego [1]). — Trin. I. 2. 166. atque egomet me adeo cum illis *una ibidem traho.* Megaronides, horum verborum auctor, se numerum addendum existimat, qui multitudinem hominum ab ipso reprehensorum augeat. cf. Trin. II. 4. 10. *ibidem una traho,* ubi locutio proprie usurpatur.

b. a nummis.

Trin. I. 2. 167. qui *illorum verbis acceptor* fui; tanquam trapezita, qui nummos adulterinos pro solidis accipit [2]). cf. Truc. I. 1. 47—55. ubi *scorta* cum *nummis adulterinis* comparantur, *lenones* cum *fraudulentis trapezitis.* Most. IV. 1. 7. faciunt de *malo* sibi *peculium, thensaurum* inde *parant.* Peculium et thensaurus verbera intelligenda sunt, quae servus parvae poenae metu fugitivus, multa sibi contrahit; delictum quasi metallum est, unde nummos i. e. verbera sibi cudit.

---

[1]) cf. Hor. ep. I. 7. 34. *cuncta resigno;* verbum resignandi in usu fuit de debito soluto, quod resignatum est i. e. in aliam tabulam, in qua trapezitae res familiaris scripta erat, relatum est, quoniam in mutuando a trapezita haec tabula extincta erat; hic vero de debito est cogitandum, quod trapezita se nunquam recuperaturum esse persuasum habens, quasi re vera illud recuperaverit. resignat i. e. extinguit cf. nostrum: „in den Kamin und in den Rauch schreiben“; inde sensus omittendi. cf. Phorm. V. 8. 29. ubi proprium sensum rescribendi, quod idem significat, verbum obtinet. contrarius quidam sensus inest in locutione *vorsura solvis* Phorm. V. 2. 15. i. e. ex uno debito in alterum incidis, ea re ex difficultate te expedire nequis.

[2]) cf. Hor. ep. I. 7. 23. Nec tamen ignorat quid *distent aera lupinis.*

c. a metallis.

a ferro. Pers. 21. *ferreum negotium* i. e. negotium catenas ferreas terendi, quod captivus agit. a plumbo[1]). Most. IV. 2. 10. tace sis, faber *plumbeos* qui *cudere* soles *nummos:* i. e. verba loqueris, quae tanti sunt, quanti nummi plumbei. Poen. III. 6. 18. *plumbeas iras gerunt* i. e. graves iras. — ab argento: Pseud. III. 6. 18. semper tu ad me accedito cum *argentata querimonia* i. e. cum argento. similiter I. 1. 100. nisi tu illi *lacrumis* fleveris *argenteis* cf. Most. III. 1. 93. perfacile ego *ictus* perpetior *argenteos* i. e. dummodo argentum accipiam. ab auro: vere translato sensu ab omnibus populis adjectivum „aureus" usurpari videtur. Sic aurea mediocritas, aurea aetas; ad aetatem sane reliquorum quoque metallorum notissimorum adjectiva hoc sensu apponuntur. cf. *Ἄμφιδις Ἔριθοι* 3. 303 (1) *χρυσοῦν πρᾶγμα. Ἀλέξιδις Λέβης* 3. 439 (4. 15) *νόμον χρυσοῦν.* cf. nomen proprium *Χρυσόστομος* et *Χρυσοῦν γένος* titulum comoediae Eupolidis 2. 541. Semper *χρυσοῦς,* aureus, golden translato sensu idem est atque egregius. Sic apud nos: goldene Freiheit, Regeln, Worte, Lehren, Beredsamkeit, Zeiten, cf. Goethii nostri Faust: des Lebens gold'ner Baum. blanda hominis dilecti allocutio est nostrum: mein Gold. Apud Plautum nihil ejusmodi, quod sciam, reperitur.

d. a mercibus.

„Mala merx" de personis praedicatur Pers. II. 2. 56. Pseud. IV. 1. 44. Cist. IV. 2. 61. Illae personae sunt meretrix, ancilla, leno; — Men. V. 2. 6.

---

[1]) cf. Ter. Heaut. V. 1. 3. *plumbeus* eodem sensu reperitur ac nostrum: dumm, stumpf cf. nostrum: plump.

aetas mala merx. cf. Rud. II. 3. 43. *improbae merces.* — Trin. I. 1. 30. Neque quicquam *vile* nunc est nisi *mores mali;* hi tanquam merces cogitantur. quod fluxit ex imitatione Menandri sent. 4. 355 (559) *ὡς πάντα τιμῆς ἐστι πλὴν τρόπου κακοῦ.*

e. a mari.

In omnibus fere metaphoris a mari deductis navis aliquas partes agit; idcirco notionem rei navalis cum mari conjungere mihi licere putavi. Sed primum ad ea adeamus, quae media sunt inter terram et mare, dico portum et oram: Aul. 760. res in *vado*[1]) *salutis* est; in vado sive in portu significat „in tuto", contrarium est „in alto", quod „in periculo" significat. Asin. 158. quam magis in *altum capessis,* tam *aestus* te in *portum refert;* hic, ubi de fuga agitur, altum contrarium significat atque portus; altum et portus vices mutant, ut illud tutum, hic periculum sit. In hac comparatione de Ulixe Polyphemum fugiente, qui est apud Homerum, cogitatum esse veri haud ita dissimile est[2]). ibidem 159. ego pol *portitorem privabo portorio* i. e. meretricem quaestu. Men. I. 2. 7. *portitorem* domum *duxi* i. e. uxorem, quae me custodit sicut portitor naves in portum advectas. Capt. IV. 2. 46. tantus ventri *commeatus* meo adest in *portu* cibus i. e.

---

[1]) cf. Ter. Andr. III. 1. 21. ego in *portu navigo.* V. 2. 4. omnis res jam in *vado est.* cf. Hor. sat. I. 4. 120. *nabis* sine *cortice;* sicut in vado vel duce carere poteris.

[2]) cf. Hor. ep. I. 18. 87. Tu, dum tua *navis* in *alto est,* hoc age, ne *mutata retrorsum* te *ferat aura* sc. popularis. cf. Nicolaos 4. 609 (29) *ἡμέτερος ὁ πλοῦς,* hic *πλοῦς* usurpatur, ut supra altum cf. nostrum: Die hohe See ist gewonnen de fugientibus et vexatis. simile quiddam ejusdem est: 4. 580 (26) *οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐπὶ τράπεζαν ἔστ' ὁ πλοῦς* i. e. *πρόσοδος.* aditus, occasio, facultas.

in tuto, mihi eripi non potest. — Jam in altum evehamur et pericula maritima capessamus: Merc. I. 2. 85. verum video me ad *saxa ferri saevis fluctibus*[1]) i. e. pericula video mihi imminentia; plerumque mare, fluctus, altum, saxa, tempestates poni reperimus pro periculis vel cupiditatibus vel difficultatibus vel pernicie, terram, portum, vadum, ut supra dictum est, pro tuto. cf. Merc. I. 2. 83–85, V. 2. 34—37, Most. III. 1. 147, III. 2. 50. — Trin. II. 1. 31. nam qui in amorem *praecipitavit, periit* quasi de *saxo saliat;* amor maris instar intelligitur; fortasse hac comparatione celebri illi de Sapphone fabulae alluditur. cf. Truc. I. 2. 96. nae ut *aestu fluctuamur* sc. cupiditatis, amoris; eandem sententiam continet: Merc. V. 2. 47. Potin' ut animo sis *tranquillo?* Quid si autem *animus fluctuat?* — a ventis. Epid. I. 1. 47. utcunque in *alto ventu'st,* exin *velum vortitur* i. e. ultro animus in amore huc illuc convertitur[2]). Most. III. 2. 49. ita nunc *ventus navem deseruit* i. e. pauperes facti sumus. Merc. V. 2. 35. huc *secundus ventus* nunc est[3]) i. e. omnia bene se habent — hic *favonius serenu'st* — sequens contrarium significat *auster imbricus*, id quod versus confirmat: hic facit transquillitatem, iste omnes fluctus conciet. Ceterum totus locus a v. 34—39 metaphoris

---

[1]) cf. Hor. II. 3. 19. sat. *res* mea ad *Janum fracta est;* Janus saxi, res navis partes agit; nos quoque de iis, qui foro cesserunt, decimus: Sie haben Schiffbruch gelitten.

[2]) cf. Hor ep I. 1. 15. quo mecunque *rapit tempestas, deferor hospes.* i. e. in nullius philosophi disciplina mihi civitas est, ubique sum peregrinus. supra de amore, hic de philosophia est imago.

[3]) cf. Hor. ep. II. 1. 102. hoc *paces* habuere *bonae ventique secundi.*

a tempestate depromptis est refertus. — Trin. II. 3. 7—8. suae senectae is *acriorem hiemem* parat, quom illam tempestatem conciet i. e. qui adversus filium consulit. Navis ejusque synonyma frequentissime versantur in comparationibus, quibus virtutes et vitia hominis illis attribuuntur: Asin. 258. *quo hanc celocem conferam?* Libanus servus se ipse celocem i. e. piratae navem appellat. Poen. III. 1. 40. obsecro hercle, *operam celocem* hanc mihi, ne *corbitam* date i. e. celeriter, ut celox, ne tarde, ut corbita i. e. navis oneraria, ingredimini. Mil. IV. 1. 39. haec *celox* [1]) (sc. ancilla) illiust, quae hinc egreditur, internuntia. Pseud. V. 2. 17. unde onus tam *celocem agere* te praedicem; ebrius homo per jocum celox onusta vocatur. nos quoque ebrium hominem titubantem videntes dicimus: Der hat schwer geladen. Men. II. 2. 69. Nunc in istoc *portu stat navis praedatoria* sc. meretrix quaestus cupida. ibidem II. 3. 87. ducit *lembum dierectum navis praedatoria* i. e. praedam secum fert; hominem secum ducit, qui sibi quaestum ferat; lembus est navis parva et significat inferiorem sive vi sive auctoritate sive propter cupiditatem. cf. Bach. IV. 6. 27. bene *navis agitatur*, pulcre haec confertur *ratis* [2]). — Most. IV. 3. 15. *servavisti omnem ratem* i. e. rem familiarem, quippe quae rati vel navi saepe committatur. — Cas. III. 2. 27. subducam *navim* rursum in *pulvinarium* i. e. expectabo, quid eventurum sit. Rud. IV. 3. 74. at ego hinc *offlectam navem*, ne quo

---

[1]) cf. Othello. Jago; act I. sc. 2. 'Faith, he to-night hath boarded a land-carack: If it prove lawful prize, he's made for ever.

[2]) cf. Anaxandr. *Ὀδυσσεύς*. 3. 167 et 3. 167 (2, 7) *ὄπισθεν ἀκολουθεῖ κόλαξ τῳ, λέμβος ἐπικέκληται*, herus navis, parasitus lembi partes agit.

abeas; navem appellat servus vidulum mari extractum. Epid. I. 1. 70. *puppis pereunda* est probe; homo navis, tergum puppis intelligitur. Curc. 99. nam omnium unguentum odos prae tuo *nautea* est. nautea significatio est vilis rei vel taedii cf. Asin. sub finem. Idem apud Ciceronem sentina significat. — fragm. fab. deperd. Artamon. unguentum, quod mulionum naribus *nauteam fecisset.* nos dicimus: Schnupfen; incertum est, num nauteam an nauseam sit legendum, sed parvi interest, quoniam duae lectiones eodem spectant, nisi quod „nauseam" cum verbo faciendi melius conjungitur et perspicuam translationem a faucibus ad nares factam, quam verisimile est poëtam spectasse, praebet. cf. fragm. Astraba. *nam ita mustulentus aestus naris obtigit* [1]). — Denique a remigio et velo sumptas metaphoras in medium proferamus. Asin. 157. *remigio veloque festina* et *fuge* i. e. celeriter, ut navis remigio et velo provecta. — Merc. V. 2. 35. *cape vorsoriam;* verte vela i. e. gradus, quo expedit. Mil. III. 1. 52. si illis aegra'st, mihi quod volup est, meo rem *remigio* [2]) *gero* i. e. fuste. Asin. III. 1. 16. Quin pol si *reposivi remum,* sola ego in *casteria* ubi *quiesco,* omnis familiae causa consistit tibi; meretricis sunt ad lenam verba, quorum sensus hic fere est: Quid facies, si quaestum meretricium, qui tuo est solius emolumento, agere desiero meque in casteriam (proprie locus est, ubi remiges a labore remigandi se recreare solent) i. e. in meum conclave inclusero, ut tibi te ipsam consulere necesse sit? — Graeci metaphoras a mari

---

[1]) cf. Eupol. *Χρυσοῦν γένος* 2. 541 (13) *ἀλλ' ὦ φίλε Ζεῦ κατάχυτλον τὴν ῥῖν' ἔχεις* sc. quod tantum aquae demittis.

[2]) cf. Anaxand. 3. 161 (1) *τὸν γὰρ οἴακα στρέφει δαίμων ἑκάστῳ* i. e. sortem.

ductas in deliciis habuerunt, nimirum quod ex antiquissimis temporibus res navalis apud eos imprimis floruit cf. Hom. *κατάλογος νεῶν*. Neque ulla in re comoediarum graecarum fragmenta tot metaphoras exhibent, quot in re maritima; qua de causa eas hoc uno loco non in notas ablegavi sed ipsi argumento innexui eodem quo supra ordine usus: a portu: Philem. fab. inc. 4. 31 (1. 9—10) *κἂν μὲν ὁρμισθῇ τις ἡμῶν εἰς λιμένα τὸν τῆς τέχνης ἐβάλετ' ἄγκυραν καθάψας ἀσφαλείας εἵνεκα,* similis Menand. sent. 4. 348 (309) *λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη* et 4. 349 (312) *λιμὴν πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς.* (318) *λιμὴν πλοίου μέν, ἀλυπία δ' ὅρμος βίου* i. e. quod navigio portus, id vitae est securitatis refugium. — a maritimis periculis: Amphidis *Ἀμπελουργός* 3. 302 (1) *ὁ νοῦς αὐτοῦ λέληθε παραπλέων τὰς συμφοράς* tanquam scopulos. Alex. *Παράσιτος* (1) sub finem 3. 467. *χειμὼν ὁ μειρακίσκος* (sc. *παράσιτος*) *ἐστὶ τοῖς φίλοις* — perniciem amicis parat voracitate. cf. Posidipp. 4. 523 (1. 11) *νόει ὄχλου τοιούτου ῥαγίαν ἠθροισμένην.* esurientes et in cenam ruentes parasiti cum undis comparantur, quae vehementer litus pulsant. — Menand. *Εὐνοῦχος* 4. 123 (2) *μηδὲ προςάγου τῷ πράγματι χειμῶνας ἑτέρους.* Hanc sententiam mutuatus est Terentius Eun. I. 1. 31. Neque praeterquam quas ipse amor molestias habet, addas (Mein.) Anaxilae *Νεοττίς* 3. 348 (17) *ἀλλ' ἐξέπαισε πορθμὶς ἐλατίνῳ πλάτῃ,* ut Ulixi navis; *πόρνη* Scyllae, vir petitus navis vices habet; *ἐλατίνῳ πλάτῃ* significat: magno damno accepto, ut paululum ei restaret. — 4. 615 (48) legimus populi cum mari concito comparationem; similem affert Dio Chrysostomus or. 32 p. 664 ed. Reiske ex Homero (Il. *β*. 144) *κινήθη δ' ἀγορὴ ὡς κύματα*

μακρὰ θαλάσσης simulque nostrum locum citat. similiter Hor. ep. I. 1. 16. nunc *agilis* fio et *mersor civilibus undis*. Contra Virg. Aen. I. 148. mare concitum cum populi seditione confert. Similes translationes etiam apud Ciceronem frequentissimae legentibus occurrunt cf. Quint. VIII. 6.

Cap. 4.

V. a republica.

Nunc demum satis diu in rebus domesticis versati domo (navis ipsa quoque domus quaedam est) plane relicta in forum descendamus videamusque, quid metaphorarum dederit. Atque eas plurimas esse nemo mirabitur, siquidem nullius nationis vitam civilem sive publicam ita excultam fuisse ut Romanorem inter omnes constat. Ac priore quidem loco de magistratibus, deinde de judicio, praetoris provincia, agamus.

a. a magistratibus.

In eo metaphorarum genere fortasse summa inest vis comica, quod fere semper parva tractantur ut magna. Multitudo pro uno et de uno, quod in multitudinem cadit, dicitur cf. Pers. III. 3. 15. *pistrinorum civitas;* in conviciis servilibus est cf. catenarum colone; — Truc. I. 1. 77. cum ea (sc. meretrice) quoque etiam mihi fuit *commercium* cf. Bacch. I. 2. 9. quid tibi *commercii* est cum diis damnosissimis. Francogallus vocabulo „le commerce“ eodem sensu utitur atque est consuetudo et nostrum: Umgang, Verkehr. — Sed jam ad singulos deinceps magistratus nos convertamus.

a senatu: Aul. III. 6. 13. Te solus e *senatu sevocas* i. e. tecum solo loqueris. Mil. II. 6. 109. redeo in *senatum* et 111. *frequens senatus* poterit nunc *haberier;* utrumque ironice ac jocose est dictum: omnes enim, quibus consilium habendum est non plures quam quattuor sunt: Periplectomenes, Palaestrio, Philocomasium, ancilla. — Epid. I. 2. 55. ego de re argentaria jam *senatum convocabo* in corde *consiliarium;* senatores sunt intelligendi singula consilia, quae deinceps excogitantur. cf. Most. III. 1. 158. dum mihi *senatum consili* in cor *convoco.* — a censore: Aul. 555. abstinebit, *censione bubula;* verbera census sunt instar, qui servis ab heris imperatur. a tribuno: Pers. I. 1. 22. plusculum annum fui *praeferratus* apud molas *tribunus vapularis* sc. qui servos segniter molentes verberarem. a quaestore. Bacch. IV. 9. 152. nunc hanc *praedam* omnem jam ad *quaestorem deferam;* ironice dictum, praeda enim ex bello capta ad quaestorem deferebatur, qui eam plurimum licentibus venumdabat. ab aedile. Rud. II. 3. 42. Novi, *Neptunus* ita solet; quamvis *fastidiosus aedilis* est: si quae *improbae* sunt *merces, jactat* omnes; aedilibus enim custodia mercium ad forum allatarum erat eaeque jactandae i. e. tollendae sive demendae, quae iniqua mensura, vel pravae erant. Improbas merces hic intelligit Trachalio mulieres et lenonem cf. supra. cf. Capt. IV. 2. 43. *edictiones aedilicias habet* hic, quod *lanios et piscatores castigat.* Stich. II. 2. 28. sine *suffragio populi tamen aedilitatem hic quidem gerit:* alluditur aedilibus viarum custodibus. Bacch. IV. 4. 100. *mea fiducia opus conduxi* et meo *periclo rem gero;* apud Romanos ab aedilibus opera publica locabantur iisque permittebantur, qui

minimo et optime ea profitebantur se aedificaturos esse. Aedilium majorem rationem haberi videmus quam reliquorum magistratuum, quod et cum spectaculis et cum consuetudine publica iis plurimum fuit negotii.

Quoniam magistratuum est provincias administrare et comitia habere, metaphoras inde petitas huc traxi. Mil. II. 6. 112. ibo intro, ne, dum apsum, illis *sortitus fuat* sc. provinciarum i. e. ibo intro, ut ipse sententiam feram neve ei, quod illi jam decreverunt me absente, mihi sit invito assentiendum. ibidem IV. 4. 23. nunc tibi hanc ego *impero provinciam;* intellige: hoc tibi mando. cf. Cas. I. 1. 15. Stich. 702. Pseud. 148 et 158. Capt. I. 2. 53. 55. cf. Ter. Heaut. III. 2. 5. et Phorm. I. 2. 22. — Capt. IV. 2. 123. nunc ibo in meam *praefecturam;* ea est parasito cella promptuaria. Stich. V. 4. 1. *te praeficio cado;* cadus quodammodo est provincia, cui praeficitur; ad sententiam cf.[1]). — Aul. 654. de *capite meo sunt comitia* i. e. consilium habetur de c. m. cf. Pseud. IV. 7. 135. *Pseudulus mihi centuriata capitis habuit comitia* i. e. Ps. mihi perniciem paravit et Truc. IV. 3. 45. *meo illic nunc fiunt capiti comitia.*

b. a judicio.

Capt. IV. 2. 123. *ut jus dicam larido* etc. ut comedam. Most. I. 3. 87. *quae pro me causam diceret, patronum liberavi;* verba sunt adolescentis amantis de meretrice amata et significant: tam pulchra est mulier, ut inde, si propter eam quid com-

---

[1]) Faust Kellerscene. Brander ille exclamat:
Zwar soll auch uns ein Oberhaupt nicht fehlen,
Wir wollen einen Papst erwählen,
Ihr wisst, welch eine Qualität
Den Ausschlag giebt, den Mann erhöht.

miserim, judices mei absolvendi causam sumere necesse sit. — Asin. 565. ubi *causam dixeris pendens adversus octo artutos audacis viros, valentis virgatores* i. e., ubi vapulaveris ab octo etc. cf. 574. — Curc. I. 3. 5. ubi tu es, qui *me convadatus Veneris vadimoniis,* qui me *libello Veneris citavisti?* convadari significat efficere, ut aliquis vadimonio dato se dicta die ante judices causam dicturum esse confirmet. Sententia est: ubi tu es, qui quasi vadibus a me acceptis me in jus vocas i. e. foras e lustro? libellus in sermone judiciali est id scriptum, quo accusatur; hic significat epistolam amantis. indidem v. 7. *sisto ego tibi me et mihi contra itidem ut sistas* suadeo sc. ut disceptatio fiat, sicut ante judicem — et v. 8. *adsum,* nam si *absim, haud recusem, quin mihi male sit* i. e. quod per contumaciam defuerim, condemner; omnia per jocum percipienda sunt [1]) — Epid. V. 2. 19. *vadimonium ultro mi hic facit* i. e. sua sponte in manus meas se dedit. Cas. II. 8. 73. *nostra omnis lis est* i. e. nos superiores sumus. Truc. IV. 3. 63. *reus solutus causam dicit — testes vinctos attines;* contrarium fieri decet, ancilla sentit: eum, in quem tibi est animadvertendum, liberum esse sinis; me, quam testem citas, aspere tractas. ibidem 66. *tu es praetor* [2]) *mihi* i. e. is, cujus judicio me subjicere debeo. — Bacch. V. 2. 92. *ducite nos,* quo lubet, *addictos* i. e. obsequentes; addicti enim ii nominabantur, qui aere alieno non soluto in carcerem conjiciebantur vel in servitutem venibant.

Most. III. 2. 80. quasi *flagitator* astat usque ad ostium sc. sol. medium comparationis inest in assiduitate et molestia. Capt. I. 1. 11. ubi *res prolatae*

---

[1]) cf. Hor. sat. I. 9. 36. ubi proprio sensu dictum est.

[2]) cf. Epid. I. 1. 25.

sunt, quom rus homines eunt — semul *prolatae res* sunt nostris dentibus, inquit parasitus et sentit: si divites homines sunt ruri, id quod feriis fit, nemo est, qui nos ad cenam vocet cf. ibidem III. 1. 8. *ita venter gutturque resident esuriales ferias.* — Tandem priusquam metaphoris judicialibus ferias faciam, mihi ex Eunucho Terenti ejusdem generis locutionem afferre liceat: II. 3. 56. *ilicet;* desine, jam *conclamatum est.* — quoties enim causa ab oratoribus perorata et a judice sententia ferri coepta erat, conclamabatur sc. a praecone causam finitam esse et partibus ire licere; quoniam autem is causae finis esse solet, ut altera pars condemnetur, locutio „conclamatum est" sensum accepit: mox tibi judicium fiet, vel mox condemnaberis i. e. mox tibi mali accidet aliquid.

VI. a re militari.

Finem faciant totius quaestionis eae metaphorae, quae a bello originem ducunt. Tres sunt causae, quibus impulsus ei metaphorarum generi praecipuum locum tribuerim: Bellum hominem longissime domo abigit et maximam hominum in unum locum consortionem cogit; denique indoles Romana Plautinarum comoediarum ex iis metaphoris mirum in modum elucet. — Sed antea sectemur eas, quas poëta ex re venatoria cepit, quippe quae praeparatio quaedam sit belli, et cui cum illo armorum usus et pericula sint communia. — Ac primum agamus de feris quadrupedibus, deinde de avibus rapacibus, tum de piscibus et intra hos terminos primum de ritu bestiarum, deinde de venatione, quam inter se faciunt [1]), tum de ea, qua ab homine petuntur.

---

[1]) cf. crurior *bolum* (i. e. praedam) *mihi tantum ereptum tam de subito e faucibus.* Ter. Heaut. IV. 2. 6.

a. a venatione.

a cane venatorio: Stich. I. 2. 82. stultitia est pater, *venatum ducere invitas canes* i. e. mulieres cogere, ut nubant. a lupo: Aul. 151. *inhiat aurum* sc. tanquam lupus praedam. Stich. IV. 1. 71. atque eccum tibi *lupus* in *sermone* cf. lupus in fabula. hic sententia est: praesens esuriens parasitus adest; lupus et parasitus perpetuae atque insatiabilis famis sunt imagines. Trin. I. 2. 132. *adesurivit* et *inhiavit acrius lupus* i. e. avarus homo[1]). — ab apro[2]): Cas. II. 8. 40. jam ego uno in *saltu* lepide *apros capiam;* nos: zwei Fliegen mit einem Schlag. a lepore cf. Ter. Eun. III. 1. 36. tute *lepus* es et *pulmentum quaeris?* i. e. ipse timidus atque ignavus es et jactas te alios prostraturum esse, quos te validiores esse certum est? Capt. I. 2. 81. i, modo *venare leporem, nunc ictim* tenes; dicta sunt verba ad parasitum et significant; vide, ut ad pinguiorem cenam inviteris, apud me tenuem reperies; — a feris in universum: Pers. IV. 4. 45. ego ille doctus leno in *foveam incidi* cf. nostrum in die Falle gehen; hic quaevis bestia cogitari potest, elephantus, ursus, aper aliaeque, quibus imprimis homo non armis sed dolo superior existit. Mil. IV. 9. 11. ipsus illic sese jam *impedivit* in plagas, paratae sunt insidiae, stat in statu; nos quoque: er steht auf dem Anstande. cf. Trin. II. 1. 12. nunquam amor quemquam nisi cupidum postulat se hominem in *plagas conjicere* cf. nostrum: Netze der Liebe. — ab avibus

---

[1]) a lupo Hor. sat. I. 2. 88. *emptorem inducat hiantem.*

[2]) ab apro Hor. sat. II. 1. 77. et *fragili quaerens illidere dentem offendet solido;* aper dente arborem vel lapidem ferit pro homine vel bestia inferiore. Sententia est: ibi pertinaciter resistentes offendere, ubi non suspicamur.

rapacibus: Pseud. IV. 2. 62. an tu invenire postulas quemquam *coquum* nisi *milvinis aut aquilinis ungulis?* i. e. rapacem sive furem. Capt. IV. 2. 64. *volturi!* parasitus appellatur. Most. II. 2. 146. ut ludificat una *cornix volturios* duos i. e. unus servus duos senes avaros. Pers. III. 3. 5. *pecuniae accipiter* [1]) i. e. avarus homo; Pers. II. 5. 6. *subnixis alis* me *inferam* i. e. sicut aquila in praedam, vehementer et celeriter. — ab occinibus: Bacch. IV. 6. 23. nunc ab *trausenna* hic *turdus lumbricum petit* i. e. meretrix amatorem cf. infra. — Asin. 881. *aucupemus* ex *insidiis* sc. maritum ad scortum accubantem. Mil. IV. 1. 32. viden' tu illam oculis *venaturam facere* atque *aucupium auribus?* Auscultatio saepissime a poëtis aucupio comparatur: cf. Stich. I. 2. 45. Num quis hic alienus nostris *dictis auceps auribus?* et Mil. III. 1. 12. set speculabor, ne quis aut hinc a laeva aut a dextera nostro consilio *venator adsit cum auritis plagis.* — Stich. IV. 3. 11. hunc hominem ego hodie in *trausennam* doctis *inducam dolis* i. e. in damnum. Bacch. I. 1. 50. perii, *harundo alas verberat* i. e. amore captus sum, ut avis harundine capitur cf. ibidem V. 2. 39. *tactus* sum *vehementer visco.* — a piscibus [2]): Curc. 431. meus hic est, *hamum vorat* i. e. eum in manus meas redegi cf. Truc. 1. 1. 21. interim

---

[1]) cf. Hor. sat. II. 5. 55. *corvum deludet hiantem;* corvus hic est imago hereditatis petitoris. cf. ep. I. 1. 78.

[2]) cf. Ter. Ad. III. 3. 49. metui ne *haereret* hic sc. in hamo. Hor. sat. II. 5. 24. si vafer unus et alter *insidiatorem praeroso fugerit hamo.* II. 5. 44. plures *adnabunt thunni* et *cetaria crescunt* i. e. stulti in damna incidunt. ep. I. 1. 78. crustis et pomis viduas *venentur* avaras *excipiantque* senes, quos in *vivaria* mittant; tanquam pisces alendos ac deinde edendos; de hereditatis petitore sermo est.

ille *hamum vorat.* Bacch. I. 1. 102. quia *piscatus* meo quidem animo hic tibi hodie evenit bonus; quaestus meretricius modo cum piscatu modo cum aucupio confertur; cf. Asin. I. 3. 63–72[1]). Most. V. 1. 22. *sensim mittam lineam* i. e. paullatim progrediar. Mil. II. 6. 98. Nunquam hercle ista *nasca* ego hodie *escam petam* i. e. rem obscuram et complicatam non solvam sive expediam[2]).

b. **a bello.**

Duo sunt genera belli gerendi: acies et obsidio; idcirco metaphorae inde delectae in bina castra discedent. Atque in acie instruenda primum nobis cum armis[3]), quippe quae proxima et maxime necessaria sint in bello, negotium erit. Most. III. 1. 43. continuo adveniens *pilum injecisti* mihi i. e. argentum postulas, id quod aeque vehementer me icit, ac si pilum mihi injeceris. Epid. V. 2. 24. *tragulam injicere* in te adornat; de aggrediente sunt verba; hic de servo dolum moliente. cf. Cas. II. 4. 18. et Pseud. I. 4. 14. — Poen. IV. 1. 97. priusquam *unum* est *injectum telum, tum instat alterum.* i. e. unus casus alterum subsequitur. — Pers. I. 1. 23. *sagitta cor Cupido meum transfixit.* Cupido enim cum arcu et sagitta pingitur et fingitur. Imago in quovis sermone est trita. — Cas. II. 5. 36. necessum est *vorsis gladiis depugnare* i. e. aperto certamine. — Pseud. IV. 1. 85. conveniebatne

---

1) cf. Theophili *Φίλαυλος.* 3. 631 (2) *ἢ τούτων τινὰ* (sc. *μειράκια) ὧν ἐμπλέκουσι τοῖς λίνοις αἱ μάστροποι.*

2) cf. Ter. Phorm. II. 3. 35. proinde *expiscare* quasi non nosses; expiscari significat scrutari, idem Ad. II. 2. 12. *inescare.*

3) cf. Antiphanis *Φιλοθήβαιος* 3. 125. (1, 7) *τοσαύτην ἐξακοντίζῃ πνοιήν.* vaporis vehementia notatur comparatione cum telo facta. cf. Menand. 4. 257. (87) *ἐξακοντίσῃ λόγους* cf. ad hoc Phorm. III. 2. 16. phaleratis dictis.

in *vaginam tuam machaera militis?* vagina et machaera hic rerum obscenissimarum sunt significationes. — a signis: Cas. II. 4. 44. nunc nos *collatis signis depugnabimus* i. e. nunc certamen inibit. ibidem III. 6. 1. vide, fur, ut *sentes* sub *signis ducas* i. e. ut fures tanquam dux cohibeas, ne huc illuc vagentur. — a militia: Truc. II. 1. 18. Nunquam amatoris meretricem oportet causam noscere, quin, ubi nil det, pro *infrequente* eum *mittas militia* domum; infrequentes milites ii vocabantur, qui citati in tempore non aderant nec se excusabant. Omnino poëta amoris ministerium saepe militiam vel bellum nuncupat [1]). cf. frgm ap. Maium 33. Gell. XVI. 4. 5. cave, sis, *cum amore* tu unquam *bellum sumpseris.* — cf. Pers. II. 2. 50. at *confidentia militia* illa *militatur* multo magis quam pondere. — ibidem I. 1. 23. vetus jam istaec *militiast* tua sc. vapulare, sicut servi est. — Curc. 585. miles pulcre *centuriatus est expuncto in manipulo;* si manipulus est expunctus, ipse quoque miles est. i. e. actum est de eo. cf. Pers. V. 2. 67. licet, diu saepe sunt *expunctae* sc. nates. et Men. I. 3. 1. *extra numerum es mihi* i. e. ignotus mihi es; sicut dux nihil scit de milite, qui extra numerum legionis est, nihil ego scio de te. et ibidem 2. parasitus, ad quem supra allata verba dicta sunt a meretrice, ei respondet: idem istuc aliis adscriptivis ad legionem fieri solet i. e. ut

---

[1]) cf. Ter. Eun. I. 1. 15. in amore haec omnia insunt vitia: *injuriae, suspiciones, inimicitiae, indutiae, bellum, pax rursum.* ejusdem generis est: Xenarchi *Πένταθλον* 3. 617. (1, 6) cf. Eubul. 3. 237. *γυμνὰς ἐφεξῆς ἐπὶ κέρως τεταγμένας πόρνας*; sicut militum aciem dux lustrat, adolescentes scorta nuda inspiciunt.

alia a militia translatio reperitur: Antiphanis fab. inc. 3. 150. (49) *Τίς δ᾽ οὐχὶ θανάτου μισθοφόρος* i. e. quis morti non est obnoxius?

ignorentur. Varro interpretatur: Adscriptivi dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, si quis eorum deperisset. Parasitus probrum meretricis in meliorem partem vertere vult. Quum enim illa dixit: extra numerum es mihi, quasi dixerit: te nullo numero habeo, atqui, inquit ille, non ideo sum vilior, quoniam adscripti ad legionem digni habentur, qui in locum relatorum in numerum succedant. — Pseud. IV. 3. 17. *cor conligatis vasis expectat meum;* tanquam exercitus proficisci paratus. — Pseud. IV. 3. 10. metuo *ne deserat me atque ad hostes transeat;* veluti perfuga in bello; dicit sycophantam; hostium partes hic agit Ballio leno vel Harpax, militis servus. — a copiarum generibus sive exercitus partibus: Mil. III. 2. 3. si *centuriati* bene sunt *manuplares* mei i. e. si bene exercitati erunt sodales mei. Capt. I. 2. 56–61. Cibi tanquam milites citantur: *Pistorienses, Panicei, Placentini, Turdetani, Ficedulenses,* — tum *maritumi omnes milites opus sunt tibi* sc. pisces. — Pers. I. 3. 63. *exigam* hercle ego te ex *hac decuria* i. e. ex hac societate. Pseud. I. 5, 159. dum *concenturio* in *corde sucophantias;* eae quodammodo centuriae sunt, quibuscum consilium habere vult. Most. V. 1. 6. eaque *eduxi omnem legionem,* mares et feminas, dicit servus omnem societatem; totus locus a v. 6—10 abundat metaphoris a bello et vita publica petitis. — frgm. Frivolaria 3. Sequimini me hac, sultis, *omnes legiones Laverniae* sc. fures, ubi sunt *accensi?* — accensi genus subsidiorum exercitus Romani erant — agite nunc, *subsidite* omnes, quasi solent *triarii.* — In proelio enim subsidebant triarii pone hastatos et principes, qui dimicabant; sed necessitate urgente illis triarii succedebant, unde factum

est, ut locutio: „res ad triarios redit“ significaret: res ad extremum pervenit. — frgm. Saturio. *succenturia*[1]) centum, qui te delectent domi. i. e. supple centum etc. cf. Trin. II. 4. 54. *ferentarium* esse amicum inventum intellego. — Poen. III. 3. 90. Sed haec *latrocinantur*, quae ego dixi, omnia i. e. verba similia sunt latronibus, militibus mercenariis, qui semper mercedem flagitant. — a proelio: Asin. 912. pulcre *gliscit proelium* i. e. nunc rixae oriturae sunt. Epid. IV. 1. 24. orationis *aciem conferam*[2]); ut verba sint tanquam milites cf. supra et Phorm. III. 2. 16. *phaleratis dictis*. — Rud. IV. 4. 109. *Perii in primo proelio* i. e. primum dictum me perdit. Pers. I. 3. 32. sed quid cessamus *proelium committere?* interrogat parasitus; is enim ventri soli militat eique cena proelium est, quo solo gloriam sibi parare potest[3]). Pers. IV. 4. 56. vide, ut *ingrediare auspicato* sc. in proelium; vide, ut faustis auspiciis, qualibus proelium iniri opus est, rem incipias i. e. vide, ut rem bene geras. — Rud. II. 6. 41. equidem me ad *velitationem exerceo*, nam omnia corusca prae tremore fabulor; similitudo continetur trepidando. cf. Asin. II. 2. 41. *verbis velitationem fieri*

---

[1]) cf. Phorm. I. 4. 53. in *insidiis* hic ero *succenturiatus*, cf. „ferentarius“, quod adjectivum idem significat.

[2]) cf. Crat. 2. 215. (131) *ἐφιππάσασθαι λόγοις*.

[3]) cf. Hor. ep. I. 15. 39. ubi omne *verterat* in *fumum et cinerem;* increpat versus in hominem gulosum, qui sicut dux victor oppidum captum comburit i. e. omnia ventre consumit. cf. Alex. 3. 403. (1) *γίγνεται ἐν τοῖς λαχάνοις τὸ λοιπὸν ἡμῖν ἡ μάχη.* Cratini *Δραπετίδες* 2. 43. (2) *βρύκει γὰρ ἅπαν τὸ παρὸν, τρίγλη δὲ κἂν μάχοιτο* et Nicophontis *Σειρῆνες* 2. 851. (3) *μαχέσθω παροψίδι* cf. nostrum: er streitet die Portion nicht. et Nicolaos 4. 580 (v. 37) *παρατάττεταί τις καὶ ποιεῖ πάντας νεκροὺς δείπνῳ* sc. *παράσιτος*.

compendi volo i. e. rixas finiri volo. et Men. V. 2. 28. nescio, *quid vos velitati estis.* — Pers. I. 1. 24. *saucius factus sum in Veneris proelio.* nos quoque hoc sensu dicimus: Sein Herz hat eine Wunde empfangen. — Men. V. 6. 3. set metuo, ne *sero veniam depugnato proelio* i. e. re amissa nec jam sanabili. — Pseud. V. 1. 25. postquam opus meum, ut volui, *fugatis perpetravi omne hostibus* i. e. postquam, quod volui, exsecutus sum omnibus difficultatibus atque impedimentis superatis. cf. Pers. V. 1. 1. *hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis, bello extincto, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis.* Per omnia in parva translatum est, quod in serio sermone dici non potest nisi de civitate aut exercitu. cf. Stich. 1. 2. 26. quid mihi opus est *cum meis bellum gerere* i. e. in discordia vivere? — ab obsidione: Poen. I. 1. 73. quoi jam *infortuni intenta ballista* est probe i. e. cui magnum damnum est illatum. cf. Bacch. IV. 4. 58. de ducentis nummis primum *intendam ballistam* i. e. dolum in senem. cf. nostrum: Jemanden bombardiren. Pseud. I. 5. 136. at nunc *disturba,* quas *statuisti, machinas* i. e. desiste dolis, quos meditatus es. Pers. I 1. 28. vide modo, *ulmeae catapultae,* i. e. virgae, tuum ne transfigant latus. Capt. IV. 2. 16. nam meus est *ballista pugnus, cubitus catapulta'st* mihi, *humerus aries.* — Trin. III. 2. 42. ita'st amor, *ballista ut jacitur* i. e. tam celeriter graviterque. Mil. II. 2. 111. si invenio, qui vidit, ad eum *vineam pluteosque agam* i. e. eum vexabo, sicut oppidum, quod oppugnatur, solet vexari. In metaphoris, quae ab obsidione expediuntur, plerumque senex, cui decipiendo atque emungendo opera datur, tanquam oppidum apparet, cui oppugnando machinae sive doli admoventur: Epid. I. 2. 60. *senem*

oppugnare mi consilium est. Mil. II. 3. 63. meus illic homo'st; *deturbabo* jam ego illum *de pugnaculis.* cf. Bacch. IV. 4. 58. *ea ballista* si *pervortam turrim* et *propugnacula recta porta invadam extemplo in oppidum antiquom et vetus* cf. nostrum: altes Haus de homine sene. ibidem V. 1. 5. praeut ego erum *expugnabo* meum *sine classe sineque exercitu* et *tanto numero.* Hoc loco fortasse solo in metaphora militari substantivum „classis" conspicitur, unde rursus cognoscere possumus usum metaphorarum cum consuetudine et studiis populi artissime cohaerere. Romani enim Plauti temporibus, ut etiam postea, in terra longe superiores erant quam in mari. — Bacch. IV. 9. 148. *salute nostra atque urbe capta per dolum exercitum integrum omnem reduco domum.* exercitus est solus Chrysalus, qui se ipsum domum reducit. ibidem V. 2. 51. ut istuc delictum desistas tanto opere ire *oppugnatum.* Most. V. 1. 7. postquam *ex obsidione in tutum eduxi manuplares* meos i. e. meos sodales ex omnibus difficultatibus expedivi. — Rud. III. 5. 58. certum est *hasce* (sc. virgines) hodie usque *obsidione vincere* i. e. non abscedam ab iis, priusquam mecum eant. Asin. 280. *in obsidione linquet* i. e. in necessitate. Epid. IV. 1. 6. neque ubi meas spes collocem, habeo usquam *munitum locum* [1]). Mil. II. 2. 64. viden *hostis tibi adesse tuoque tergo obsidium?* i. e. viden' tuo tergo verbera imminentia? Pseud. I. 5. 10. qua in *commeatum* volueram *argentarium* proficisci, ibi nunc oppido *opsaepta'st via;* dicere vult servus: quo modo volueram argentum parare, eo nunc fieri non potest. Epid. III.

[1]) cf. Ter. Heaut. IV. 2. 2. *hac re in angustum oppido nunc meae coguntur copiae.* et Ad. III. 2. 4. *tot res repente circumvallant.*

2. 7. sed ego hinc migrare cesso, ut *importem in coloniam* hunc auspicio *commeatum!* poëta herum adolescentem, qui Epidico instruendus est argento, coloniam appellat interclusam commeatu. i. e. ipso argento. Pers. I. 3. 45. *marsupium* habeat, inibi paulum *praesidi* [1]), marsupium quasi oppidum est, pecunia cohors militum, quae illi est praesidio. cf. As. 294. *praedae praesidium* parare i. e. praedam in tutum redigere. Etiam a belli damnis emolumentisque poëta magnam metaphorarum praedam reportavit: a ditione. Aul. III. 6. 40. ut, quod habeo, *commutet coloniam* i. e. in suam dititionem redigat, eo ipse utatur [2]). Mil. IV. 1. 8. loquere, *auris meas profecto dedo in ditionem tuam* i. e. patienter audiam. Trin. IV. 3. 30. *mores leges perduxerunt* in *potestatem suam* i. e. mali mores superiores extiterunt legibus, quae illos vel potius eos, qui illis sunt affecti, non jam possint gubernare. a captivitate. Asin. 106. tune *redimes si me hostes interceperint?* i. e. tune me servabis, si periculis, quae subiturus sum, succubuero [3])? a pace. Amph. I. 1. 234. non loquar *nisi pace facta* cf. ibidem imo *induciae parumper fiant.* 233. i. e. quies tibi detur; in gradatione ab induciis ad pacem hoc loco facta magna inest festivitas. Stich. II. 1. 8. *oratores mittere ad me* (sc. ut de pace inter nos conveniat) *donaque ex auro et quadrigas, qui vehar;* ironice ac festive dictum. — a triumpho: Asin. 269. *maxumam praedam et trium-*

---

[1]) cf. Ter. Heaut. IV. 1. 33. ut meae *stultitiae justitia* tua sit aliquid *praesidii.*

[2]) cf. ibid. V. 2. 45. *patris pacem in leges suas conficiet* i. e pacem faciet cum patre, quibus condicionibus ipse filius volet.

[3]) cf. Ter. Eun. I. 1. 29. *nisi ut te redimas captum quam queas minimo* i. e. ut accepto quam minimo damno abscedas.

phum affero i. e. rem optime gessi[1]) — frgm. Baccharia 2. quoius *ventri portatur pompa* i. e. multa ciborum genera, quae quasi per triumphum incedunt i. e. portantur, translatio est apud comicos creberrima cf. Bacch. I. 2. 6. Stich. V. 4. 1. Truc. II. 6. 68. Cas. III. 5. 98. de uno homine cf. Mil. I. 1. 67. Ut *te* hodie quasi *pompam* etc. de simili quodam cf. Ter. Heaut. IV. 4. 17. a praeda: Cist. 73. amor in me *peculatum facit* i. e. privat me praeda vel ejus parte, prohibeor enim ab amato adolescente. Mil. III. 1. 4. nam opus est nunc tuto loco, unde *inimicus nequis nostri spolia capiat consili* cf. supra, ubi auscultatio pro venatione quadam accepta est. Pers. IV. 4, 58. curato, ut *praedati pulcre in castra convortamini* i. e. ut cum pecunia, cujus causa operam navatis, domum revertamini. Most. I. 3. 154. *conveniunt manuplares* eccos *praedam participes petunt* i. e. sodales vinum petunt. ibidem IV. 1. 25. male castigabit eos *exuviis bubulis* i. e. loris. Men. I. 3. 9. *induviae tuae atque uxoris exuviae* i. e. uxori pallam eripui, ut tibi afferrem. cf. 13.

Restat, ut nonnullas metaphoras, quas propter earum peculiarem naturam nusquam adhuc collocare potui, illustrem. Quae inde sunt ortae, quod nonnullae actiones, quae mediae jacent, sint omissae. Id saepe fit, ubi de argento agitur et hoc pro eo ponitur, quod emitur vel venit vel percipitur. Quod ex exemplis melius intelligi posse censeo: Pers. II. 5. 1. boves pro argento, quod illis venditis accepit, servus in crumina collocat cf. Truc. V. 1. 64. *Pecua ad hanc collo*

[1]) Minus bene triumphator Terentianus se habet: Heaut. IV. 2. 5. *triumpho,* si licet me *latere tecto abscedere* cf. nostrum: Ich bin froh, wenn ich mit heiler Haut davonkomme.

in crumina ego obligata fero. Trin. II. 4. 22. Philto senex dicit Charmidae reduci in ventrem filii, qui rem familiarem consumpserit, corrependum fore, quasi ibi habitaturus sit. Curc. 688. *argentum vomere* sc. cibum eo emptum. cf. Plat. fragm. 2. 616. *ἐκπίεται τὰ χρήματα*; apud nos quoque locutio in usu est: Geld aufessen vel vertrinken vel duobus in unum coactis: verzehren. — Multas denique metaphoras esse, quae in duabus vel pluribus provinciis officiis fungi possint, legentes non fugisse mihi persuasum est. Exempla sint Pseud. IV. 3. 17. ab homine et re militari. Merc. I. 2. 13. ab homine et republica. Pseud. V. 1. 3. ab homine et circo. Quin etiam fieri potest, ut una metaphora omnes fere classes complectatur, id quod inde sequitur, quod omnes metaphorae proprie ab homine proficiscuntur isque in omnibus aliquas partes agit.

Vita.

Natus sum Ascher Inowraclawer, fidei adscriptus Mosaicae, a. d. IV. Non. Febr. a. h. s. IL. Crotoschinae, in oppido Posnaniae, patre Marco, quem ante hos quattuor annos vita defunctum lugeo, matre Adela e gente Weinstock, quam adhuc vivere valde gaudeo. — Angustissimis rebus versanti mihi aditus ad gymnasium patriae reclusus est munificentia civium meorum, quibus hoc loco sinceras gratias ago. Quarum maxima pars debetur humanissimo doctissimoque viro Gebhardo, qui me puerum elementa docuit ac perpetuo consilio et ope cum ipse adjuvit tum effecit, ut alii multi idem mihi praestarent. — Postea parentes, qui Vratislaviam demigraverant, eo subsecutus in primum ordinem gymnasii Elisabetani, quod adhuc strenuo remigio gubernat v. cl. Fickert, receptus sum, unde maturitatis testimonio impetrato dimissus almam universitatem literarum Viadrinam Vratislaviensem adii rectore magnifico v. cl. Stobbe ac rite nomen professus a. h. s. LXIX a. d. III. Kal. Nov. apud v. cl. Schmoolders, ordinis philosophorum decanum, scholis

interfui philologicis, philosophicis, historicis dd. vv. Braniss, Dilthey, Foerster, Hertz, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Rueckert, Stenzler, deinde domicilio Lipsiam translato in universitate Lipsiensi: Curtius et Ritschl, postremo in alma Albertina Regimontana Friedlaender, Jordan, Quaebicker, Schade mihi praeceptores fuerunt. Quibus viris optime de me meritis per totam usque vitam habebo gratiam. Vratislaviae etiam proseminarii regii philologici duce v. cl. Rossbachio sodalis fui per duo semestria.